V. P. F.

BALDVINI IVNII, ORDINIS S. Francisci.

CONCIONES SVPER Euangelia Dominicalia,

A festo Pentecostes vsque ad Aduentum Domini.

I



ANTVERPIAE,
Sumptibus Hæredum Martini Nutij.
1610.
Cum Gratia, & Priuilegio.

NOBILI,
ET CLARISSIMO
D. CORNELIO IVNIO,
Domino in Baertwijck,
S. D.
F. BALDVINVS IVNIVS.

QVID non poteſt amicitia? Idem velle docet, idem nolle: animorũ eſt coniunctio, quæ ſi arcta ſit, vnum videtur efficere animum. Alexander Magnus aliquando ad amicos venit, gratiſsimo ſibi Epheſtione latus ſuum claudente: cuius aduentu mater Darij recreata humi proſtratum erexit caput, Epheſtionemq́; quia ſtaturâ, & formâ præſtabat, more Perſarum adulata, tanquã Alexãdrum ſalutauit. Admonita deinde erroris, per ſummam trepidationem

excusationis verba quærebat. Cui A-lexander: Nihil est, *inquit*, quod hoc nomine confundaris; nam & hic Alexander est. *Maximi sanè animi Rex, etiam totum orbem terrarum aut victorijs, aut spe complexus, tam paucis verbis se cum socio suo partitus est. Iterum dico: quid non potest amicitia? Plurima continet, quoque te verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiua, nunquam molesta est. Itaque non aquâ, non igni, non aëre (vt aiunt) pluribus locis vtimur, quàm amicitia. Nam & secundas res splendidiores facit, & aduersas partiens, communicansque leuiores. Nec debilitari animos, aut cadere patitur: verum etiam amicum iam qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca per hanc & absentes*

adsunt,

adsunt, & egentes abundant, & imbecillés valent, & quod difficilius dictu, mortui viuunt. Quid non potest amicitia? Nuper ad scribendum me hortatus es, & conciunculas nostras lucem videre voluisti. Quid? egone? abnui, & ad solam cogitationem trepidaui. At tu vrgere. Non omnia, aiebas, ad rubram examinanda lineam: multum si alibi eruditio, aut rectitudo iudicij appareat: vt hæc vbique, non est postulandum. Lipsius ipse nónne à decimonono ætatis anno scribere cæpit, cæpit edere? Ita primâ illâ audaciâ gradus struuntur ad maiora, ad meliora. Quid dicam? Vicisti me, & in tuam tandem traxisti sententiam. Rubore suffundar? Quid ad me? Charitas non est ambitiosa. *Risum videbo?* Non irritatur. Dentes patiar? *Non æmulatur? Vno verbo:* Charitas

1. Cor. 13.

 omnia

omnia ſuffert. *Accipe igitur nouellum ingenij mei fœtum, & qui propter te prodijt, eat ad te: eat, & fractam ſenectutem reficiat: eat, eat, vnam forſitan vitæ adijciet dieculam. Vale. Antuerpiæ* 11. *Kal. Iulias* 1610.

D. V. Officioſiſsimus
F. Balduinus Iunius.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

DIXIT DEVS: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* *Genes.1.*

MORALITER: Per ligna pomifera subaudi Prædicatores, qui ex agro sacræ scripturæ humorem sugentes, poma odorifera per bonæ vitæ famam, & sapida per veritatis declarationem producunt: proponunt vitæ virtuosæ semina, quæ in fructibus remaneant, vt fructus bonos semper continuando faciant. Vnde Gregorius l.6. moral. Ille, inquit, vberes fructus prędicationis colligit, qui semina bonæ operationis pręmittit: nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. Et de hoc mentio fit in Euangelio.

EVANGELIVM: *Dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* *Luc.6.*

THEMA: *Eijce primũ trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucã de oculo fratris tui.*

Queritur: A quibus adhibenda sit correctio fraterna? Quidam enim sunt eâ conditione homines, vt videri possint non esse obligati ad fraternam correptionem: nimirum ij, qui aut nullam habent in alios auctoritatem: aut peccato mortali sunt obstricti. Nam munus alios corrigendi proprium superiorum videtur esse, & eorum, qui non sunt ipsi reprehensibiles. Sed tamen vera, & consentiens omnium Theologorũ de hac re assertio est, omnes omninò obligatos esse ad corripiendũ proximum, pro loco & tempore: licet magis eos, qui prelati, ac superiores sunt, aut propter virtutẽ plus ceteris auctoritate valẽt.

Prob. assertio quoad priorem partem ex Script. nam officium hoc sine exceptione commendatur omnibus, præsertim illis Domini verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solũ.* Omnes namque sunt fratres, ratione naturæ saltem. *Matt. 18*

2. Anacletus Pont. 24. qu. 3. can. Tam Sacerdotes, expresse affirmat, omnes debere proximo impendere hoc officium.

3. Patres cum omnibus sine discrimine loquuntur commendantes fraternam correptionem: ac nominatim S. Augustin. lib. 1. de ciuitat. Dei, cap. 9. vbi ait: *Nec tamen ab huiusmodi culpâ non corripiendi alienus est, qui licet præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ huius necess-*

necessitas coniungitur, multa monenda, & arguenda nouit, & negligit.

11 4. Obligatio charitatis, ex quâ oritur obligatio correptionis, sicut etiam eleemosynæ corporalis, omnes similiter adstringit.

5. Peculiariter quòd attinet ad peccatores, idem patet: tum quia peccatum neminem liberat ab vllâ obligatione præceptorum diuinorum; vt rectè notauit ad hoc propositum Nauar. in Manual. c. 24. nu. 12.

Tum, quia, si peccatum obstat, quò minùs correptio vel licitè, vel efficaciter fiat, (quia scilicet vel est publicum, & scandalosum; vel ei saltem notum, qui corripiendus est) potest per pœnitentiam tolli cum diuino auxilio, quod præsto est; vel certè tolli exterius scandalum publicum, vel priuatum. Tum, quia si absit scandalum, potest quis manens in peccato corripere alterum, modò id humiliter faciat, *Non obiurgando, sed congemiscendo*, (vt ait S. Augustin. l. 2. de sermon. Domini in monte, c. 30. *& non illum ad sibi obtemperandum, sed ad pariter cauendum inuitando*. Neque obstat, quod asserit D. Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 5. tres ob causas peccatum proprium impedimento esse homini, ne corripiat. Primò, quia peccator indignus est, vt fungatur eo munere, præsertim si maiori peccato, quàm alter, obstrictus sit, iuxta illud: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* sicut Hieronym. ibi interpretatur. Luc. 6.

Secundò, propter ſcandalum, ſi peccatum ſit manifeſtum. Nam tunc non videtur fieri correptio ex charitate, ſed ad quandam vanam oſtentationem; vt notauit auctor operis imperfecti in Matth. homil. 17. Tertiò propter ſuperbiam, quâ peccator corripiens proximum, pluris ſe faceret, quàm illum, ac ſi ipſe eſſet iuſtus.

Non enim vult S. Thomas ſignificare, quòd propter has cauſas non debeat peccator vllo modo corripere proximum, quaſi iam idcircò liber ſit à corripiendi obligatione: ſed quòd non debeat corripere modo illo prauo, & peruerſo, quo alioqui corriperet, ſi obſtrictus ipſe peccato corripiat temerè, non priùs ſublato ſcandalo, (ſi peccatum ſit publicum) & amota ſuſpicione ſuperbiæ, & vanitatis, temperataque ſua indignitate per illam humilitatem, quam ex Auguſtin. ſententia diximus eſſe à peccatore adhibendam in corripiendo. Itaque abſolutè quidem peccator quoque debet corripere: imò, vt rectè notat S. Auguſtin. lib. de catechizandis rudibus, c. 14. per hoc etiam præſtantiſsimum genus eleemoſynæ peccator ſe comparat ad obtinendam per miſericordiam Dei peccatorum remiſsionem.

Ita quoque ſcriptura exponi debet, cùm reprehendit peccatores corripientes: *Quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam.* (Pſal. 49.)

Et:

Et: *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Luc. 6.

Neque aliter intelligi debent S. Patres, cùm similiter loquuntur. Vt S. Ambros. enarrat. in Psalm. 37. vbi ait: *Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Et si veritatis est, quod retorques, temporis non est. Peccatori enim dixit* DEVS: *Quare tu enarras, &c.* Isidor. lib. 3. de summo bono c. 32. *Non debet aliorum vitia corrigere, qui vitijs est ipse subiectus.*

Eijcitur autem trabs ex oculo, quod ad affectum licitè corripiendi attinet, non modo per pœnitentiam, qua peccatum tollatur; sed etiam per humilitatem, qua peccatum proprium agnoscatur. Habere enim trabem in oculo, quæ correptioni sit impedimento, non tam est peccatum habere, quàm illud humiliter non videre, & agnoscere; vt potest intelligi ex illis verbis Domini: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Ibid. Et ex verbis etiam, quibus præcipit, vt trabs eijciatur, dicens: *Hypocrita, eijce primùm, &c.* Cùm primùm enim quis agnoscit peccatum suum, nec se iustum simulat, desinit esse hypocrita, & potest vtiliter alterum quoque ad bonum hortari, non quasi imperando, sed inuitando ad simul cauendum.

Vnde verè asseruit Sotus in Relect. de sigillo secreti, memb. 2. quęst. 3. concl. 6. & post eum Bannes in D. Thom. sup. art. 5. peccatorem, vt adimpleat præceptum correptionis,

non

non teneri ad pœnitentiam proprij peccati agendam. Nam poteſt nihilominus modo dicto implere id præceptum quoad ſubſtantiam actus: quod ſatis eſt, vt vitetur nouum peccatum contra illud præceptum. Sicut ad vitandum nouum peccatum contra præceptum corporalis eleemoſynæ, ſatis eſt illam facere quoad ſubſtantiam actus, etiamſi non ſis in gratia. Secus, ſi peccatum eius, qui poſſet, & tenetur alterum corripere, ſit publicum, & ſcandaloſum, nec poſsit tolli ſcandalum, niſi per publicam pœnitentiæ actionem. Tunc enim oporteret ad eum finem agere pœnitentiam; & quidem verè, & ex animo; ſiquidem nunquam licet ſimulatè agere pœnitentiam. Quare mandat, omnes omnino eſſe obligatos pro loco & tempore, ad fraternam correptionem; vt prior pars aſſertionis continet.

Quoad poſteriorem verò partem certa eſt quoque, & indubitata eadem aſſertio, ſcilicet quod alij magis, quàm alij, ſint ad corripiendum proximum obligati. Nam quemadmodum pro diuerſa conditione perſonarum, & neceſsitudine mutua earum, alij magis, quàm alij, vinculo charitatis inter ſe obſtricti ſunt: ita etiam vinculo & obligatione operum miſericordiæ, quorum vnum eſt correptio fraterna: ſiquidem obligatio miſericordiæ ex obligatione charitatis naſcitur. Hinc primum certum eſt, prælatos & ſuperiores habentes curam

curam animarum multo magis, quàm alios, obligatos esse ad corripiendum suos subditos. Nam peculiarem habent necessitudinem cum illis ratione officij: & ideo debent illorum salutis singularem curam gerere, tanquã pastores & patres. Id confirm. ex script. vbi idcircò grauissimæ comminationes fiũt prælatis, & superioribus negligentibus suos. Ita minabatur Deus Heli, qui peccantes non corrigebat filios suos, dicens: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua*. Et apud Ezechielem inter cetera Prælatis exprobatur: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum, est non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, &c.* Vnde Augustin. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 9. de obligatione disserens, qua tenentur omnes ad corripiendum proximum: *Qua in re*, inquit, *non vtiq; parem, sed longè grauiorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur: Ille quidem in peccato suo morietur; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, id est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata.*

1. Reg. 2

Ezec. 33 & 34.

Atque propter hanc maiorem obligationem, qua prælati tenentur ad corripiendum, tenentur ad id etiam cum periculo vitæ. Atque etiam sunt ipsi obligati ad inquirendum de subditorum peccatis; cùm tamen alij solum

lum teneantur corripere peccata, quæ nouerunt, neque in ea teneantur inquirere. Sunt enim Prælati pastores, & vigiles animarum constituti, & ideo ad id tenentur ratione officij. Vt enim inquit S. Gregor. lib. 2. Registri, epist. 52. ad Ioannem Episcop. Constantinop. *Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit?* Monet autem prudenter Caietan. in D. Thom. sup. artic. 2. Prelatis in hac inquisitione opus esse maxima prudentia: *Ne multa*, inquit, *suspicio præcipitem, & exosum prælatum reddat; néve contra iniuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum, &c.*

Porrò hanc obligationem maiorem existimat Caietan. oriri non propriè ex charitate, sed ex adiuncta obligatione iustitiæ, qua etiam tenetur prælatus ratione officij consulere non modo bono communi, sed etiam bono priuato subditi, quantum saluo bono communi potest. Qua in re Caietano assentitur Bannes in D. Thom. sup. art. 3. Ego vero potius assentior Soto, qui in relect. de sigillo secreti memb. 2. q. 3. concl. 3. arbitratur contra Caietan. oriri maiorem eam obligationem non propriè ex illa obligatione iustitiæ, qua etiam tenetur prælatus, sed ex obligatione charitatis. Ratio mea est: quia obligatio illa iustitiæ, & obligatio maior ad correptionem in prælato, quamuis simul in prælato concurrant; tamen disparatæ sunt, ita vt neu-

tra

tra sit altera, sed vtraque oriatur ab alia quadam priore radice, nempe ab ipsa conditione, & officio prælati. Nam abstrahendo etiam ab illa obligatione iustitiæ, ob illam conditionem officij, & status tenetur ex charitate prçlatus multo strictius, quàm alij, consulere saluti subditorum. Atque etiam tenetur id strictius facere per misericordiam, & correptionem fraternam seu potiùs paternam, & ob id inquirere quoque de subditorum peccatis, non modo vt puniat tanquam iudex, cùm id expediet, sed etiam vt corrigat, tanquam pater.

Neque hoc erit nouum præceptum charitatis obligans hominem, postquam fit prælatus, cum antea eum non obligauerit, vt argumentatur Caiet. sed idem præceptum charitatis obligans postea strictius eum, qui prælatus fit, idque ob accedentem nouam conditionem personæ ratione officij. Hæc enim officij ratio prius quiddam est, quàm obligatio iustitiæ: siquidem hæc ex illa oritur. Et vt est quiddam prius, parit ex se non modo obligationem iustitiæ (quatenus per vtilitatem, vel dignitatem officij censetur iustè compensari peculiaris illa cura, quam prælatus subditis debet) sed etiam maiorem illam obligationem charitatis, atque adeo misericordiæ, qua dicimus prælatum teneri strictius ad corripiendum, atque adeo obligari quoque ad paternè inquirendum. Quapropter neque istud

est

est nouum præceptum charitatis, sed idem strictius obligans: neque ista strictior obligatio oritur ex illa altera obligatione iustitiæ, sed ex conditione personæ ob prælati officium, vnde ipsa quoque iustitiæ obligatio nascitur. Ideo enim prelatus obligatur ex iustitia curare salutem subditi, quia est ei prælatus, & habet auctoritatem talis officij. Itaque officij ratio est prius quiddam, & causa obligationis. Sed hæc forsan est speculatiua obseruatio. Ad praxim quod attinet, illud obseruare sat est, prælatum duplici nomine teneri peculiariter consulere, & inuigilare saluti subditorum: scilicet iustitię, vt dictum est, & stricta etiam obligatione charitatis, vndecunque hæc stricta obligatio oriatur. Quo fit, vt prelatus, si subditi salutem sua culpa neglexerit, minimè in confessione satisfacturus sit dicendo, se neglexisse salutem proximi, quam curare poterat & debebat, sed debere explicare quòd is fuerit suus subditus, si confessarius id alioqui nesciat; vt nimirum intelligere is queat peccatum in ea re fuisse tum grauiter contra misericordiam & charitatē; tum etiam contra iustitiam.

Secundò ex fundamento posito consequens est, eos etiam Religiosos, qui ex vitæ instituto profitentur se in negocio salutis opem laturos proximis, peculiariter obligatos esse ad spiritualia misericordiæ opera erga proximos, vt ad docendum, corripiendū, &c.

Nam

Nam ob vitę & professionis suę conditionē sunt ex charitate magis quàm alij, ad hęc opera obligati, vtpote destinati peculiariter ad hunc finem. Quanquam subditi quidem huic obligationi peculiari satisfacere censendi sint, si eatenus in eiusmodi operibus se exerceant, quatenus iuxta instituti sui rationem præscribitur eis à suis superioribus. Tenentur autem superiores eorum prouidere, vt hæc exercitia apud eos in vsu sint, quoad commodè fieri possit. Et ipsi etiam subditi tenentur saltem se comparare, vt hæc opera rectè obire possint, & ad id idoneos se reddere, per studium scilicet virtutum, & litterarum iuxta instituti sui rationem.

Tertiò certum est, ex alijs eò alios magis, quàm alios, obligari ad corripiendum proximum, quo maiorem cum eo coniunctionem habent, & magis ideo vinculo charitatis inter se deuincti sunt.

Postremò non est dubium, quin Confessarij teneātur ratione officij peculiariter corripere pœnitentem in ipsa quidem confessione. Sic tamen vt cum discretione: nam vt legitur in libris doctrinæ Patrum, lib. de fornicatione, num 1 Luxuria grauissimè tentatus fuit indiscretus senex, qui fratrem fornicatione tentatum ad desperationem adegit.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

Gen. 14. MELCHISEDECH *Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altißimi, benedixit ei & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.*

MORALITER: Christus Dominus, Ps. 109. qui est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, etiam panem & vinum protulit, quando discipulis suis corpus suum sub specie panis, & sanguinem suum sub specie vini, manducandum & bibendum exhibuit. Sed illa fuit differentia: quòd Melchisedech verum panem & verum vinum protulit: Christus autem non nisi species eorum dedit.

Luc. 14. EVANGELIVM: *Dixit Iesus Pharisæis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*

Occasione huius Euangelij quærendum erit: An, & quando Sacramentum Eucharistiæ fuerit à Christo institutum? Omnes tam hæretici huius temporis, quàm Catholici sine controuersia fatentur, Sacramentum hoc esse vnum è Sacramentis nouæ legis, à Christo institutum in cœna. Quod colligunt ex nar-

tatione

ratione Matth.26. Luc.22. Mar.14. & Apostoli. 1 Cor.11.

Vb tamen contra sectarios illud est diligenter obseruandum, si clarissima prorsus Script. testimonia pro sacramentorum assertione exigant, ne hoc quidem sacramentum ipsos admittere debuisse: siquidem in illa narratione, & historia Euangelica non prorsus euidenter significatur, quòd species illę panis, & vini, sensibiles ex institutione diuina sint factæ, & institutæ signa non modò commemoratiua Christi passionis, sed etiam significantia ipsam gratiam sanctificantem, quæ in vsu huius sacramenti tribuatur: id quod sine vlla controuersia pertinet ad sacramenti rationem. Aut igitur negare etiam hoc sacramentum isti deberent, aut si propter rem ipsam huius sacramenti, quæ ibi ab Euangelistis describitur, colligi posse putant, fuisse ibi à Christo sacramentum omnino institutum, pari modo coguntur fateri, assertionem aliorum sacramentorum ex scripturis etiam colligi posse.

Nunc accipimus sanè, quod nobis fatentur, sacramentum hoc fuisse omnino à Christo institutum. Quod tamen aliqui hæretici veteres negarunt, nempe Arcontici apud Epiphan. hæres.40. & apud Theodor. lib.3. Fabian. hæres. Item hæretici Bogomiles teste Euthim. in pano.p.2. tit.23. qui aiebant, Eucharistiam nihil aliud esse, quàm ora-

tionem Dominicam.

Prob. 1. hæc assertio ex Script. iuxta interpretationem Ecclesiæ eo argumento, quo solo per Script. probari potest Baptismi Sacramentum, & reliqua sacramenta, hunc in modum: Si quæ res ad cultum Dei pertinet, proposita est quoad primarium ritum, & institutionem suam in Script. sacrâ; & de ea affirmat Ecclesia, quòd sit Sacramētum, omninò fatendum est, eam Sacramentum esse: sed res illa, quæ in Sacramento Eucharistiæ ore sumitur ad refectionem spiritualem animæ, quoad ritum, & institutionem suam proposita est in Script. & de ea affirmat Ecclesia, quod sit Sacram. Ergò, &c. Maior prob. nam ne Baptismi Sacrament. hoc est, illam ablutionem in nomine Trinitatis, possumus aliter in Scriptura probare quòd sit sacrament. nusquam enim script. affirmat, quòd illa ablutio sit signum quoddam gratiæ, & spiritualis regenerationis animæ ex institutione diuina; & quod sit cæremonia quædam instituta ad cultum diuinum; quæ omnia sunt de ratione sacramenti, sed solùm quia in script. proponitur nobis res ipsa illius ablutionis, quoad suam institutionem, atq; adeo quoad promissionem etiam de fructu, siue effectu ipsius; itemque quoad eius ritum; & Ecclesia affirmat in ea re inesse verè rationem sacramenti; fateri cogimur esse sacramentum.

Minor autem prob. quoad scriptur. quidem

dem Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. 1. Cor. 11. in quibus locis extat tum ritus eius rei, quam ad ſpiritualem refectionem ſumimus, vbi ſcilicet dicimus: *Accepit Ieſus panem, benedixit, dedit dicens*, &c. Tum inſtitutio illis verbis: *Hoc facite*, &c. Atque etiam apud Ioannem extat de effectu huius rei promiſsio illis verbis: *Qui manducat me, viuet propter me.* Item: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quoad Eccleſiæ definitionem patet eadem minor ex Concilio Lateran. vt refertur quoque in c. firmiter, de ſumma Trin. & in Concilio Florent. in decreto vnionis, & in Trident. ſeſſ. 7. c. 5. & ſeſſ. 13. c. 2. & 3.

Mat. 26. Luc. 22. Mar. 14 1. Cor. 11

Ioan. 6.

Prob. 2. eadem aſſertio ex Patribus, qui agnoſcunt paſsim eſſe vnum quoddam, & quidem præcipuum ſacramentum illud, quod ſumitur ad ſpiritualem refectionem animæ. Videatur in primis per S. Dionyſ. c. 3. Eccleſ. hierar. vbi *ſanctiſsimum Sacramentum* diſertè appellat. Et S. Auguſtin. epiſt. 118. ad Ian. c. 1. inter ſacramenta nouæ legis, quibus Dominus ſocietatem noui populi colligauit, affirmat eſſe Baptiſmum, & Euchariſtiam, quam ibi etiam *communicationem corporis, & ſanguinis Domini appellat.*

Prob. 3. ratione D. Thom. p. 3. qu. 73. art. 5. & 6. quæ ſic eſt declaranda, & proponenda. Sicut Deus proſpicit vitæ corporali hominis per quædam conuenientia media, ita etiam proſpicit vitæ ſpirituali eiuſdem per ſacra-

menta, eo ſcilicet modo, quo conuenit, ſpectata conditione, atque etiam fine vitæ ſpiritualis. Sed hanc ob cauſam ad regenerationẽ ſpiritualem, inprimis pertinentem ad ſpiritualem vitam, proſpexit Deus homini per ſacramentum Baptiſmi; & ad ſpirituale robur, atque augmentum, quod item in vita ſpirituali neceſſarium eſt, proſpexit per aliud quoddam ſacramentum, nempe Confirmationis; ita etiam conuenit ſpectata conditione, & fine vitæ ſpiritualis, vt per aliud quoddam ſacramentum diſtinctum proſpiciat eidem homini ad ſpiritualem refectionem, ſeu nutritionem itidem in vita ſpirituali neceſſariam: neque illud eſt aliud, quam id, quod ad refectionem ſpiritualem in ſpeciebus panis, & vini more illo conſueto ſumitur. Ergo omnino fatendum eſt, iſtud ipſum eſſe ſacramentũ à Domino inſtitutum. Maior prob. ex proportione, quam ſeruari conuenit in conſtituenda vtraque vita, corporali ſcilicet, & ſpirituali, cùm vita corporis per ſpiritualem vitam perficiatur. Minor autem patet, quoniam multiplicatis medijs humanæ ſalutis, excitatur vehementius ſtudium hominis ad vſum pietatis, & ad exercitationem ipſius vitæ ſpiritualis, quæ eſt quidam finis eiuſmodi vitæ.

Atque ita propoſita, & explicata ratione D. Thom. facilè patet reſp. ad id, quod aduerſus eam poſſet obijci; nempe in ſtabilienda

vita

vita corporali per vnum, & idem medium ſiue adminiculum proſpici homini, tum quoad augmentum, & robur corporale; tum etiã quoad corporalem refectionem, & nutritionem: ſiquidem vtrumque pręſtat idem cibus, atque etiam eadem facultas vegetatiuæ animæ; ex quo ſequi videtur, non debere proſpici vitæ ſpirituali quoad refectionem ſpiritualem per ſacramentum aliud diſtinctum, ſed per illud idem Sacram. Confirmationis, quod valet ad ſpirituale augmentum, & robur. Reſp. eſt, proportionem illam, ſiue analogiã vitę ſpiritualis, & corporalis qua nititur probatio D. Thom. intelligendum eſſe non niſi aptè, & accommodatè ad id, quod exigit conditio, & finis vitæ ſpiritualis, quæ requirit nimirum, vt per aliud Sacramentum id fiat, idque à Chriſto inſtitutum.

Item conuenienter illo tempore, ſcilicet in vltima cœna, inſtitutum fuiſſe, oſtendit perſpicuè D. Thom. art. 5. vbi ſupr. Neque ſolùm tum inſtitutum fuit, ſed etiam anteà promiſſum, ab eo loco, vbi Chriſtus dicere cœpit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ibid. Vt Chryſoſtom. in eius loci commentario, & ferè omnes Patres interpretantur.

Neque ibi ſolùm promiſſum fuit, ſed etiam multò anteà vaticinijs Prophetarum prænunciatum, vt Ambroſ. in Pſalm. 38. affirmat: item præſignificatum veteris legis cæremonijs, & figuris, vt affirmat Auguſtin. l. 1. cont.

Aduersarium legis, & Prophetarum, c. 18.

Quo loco rectè D. Thom. docet, ex omnibus huius Sacram. veteribus figuris præcipuam fuisse ritum *Agni Paschalis.* Nam tria maximè in hoc sacramento considerari possunt: scilicet species sensibiles panis, & vini; Christus in eis contentus; & effectus gratiæ salutaris. Secundum hæc omnia cæremonia, & esus illius Agni fuit huius Sacram. typus. Nam & comedebatur cum panibus azymis, sicut hoc sacramentum sumitur sub specie: & Christum, innocentissimum agnum, in cruce immolatum, qui in hoc sacram. continetur, & editur, significabat: denique per sanguinem quoque illius agni sunt filij Israël liberati à deuastante Angelo atque eruti de Ægyptiaca seruitute, quod fit spiritualiter per effectum gratiæ salutaris.

Exod. 12

Quia verò ægrè ferunt Sectarij, quòd cæremoniam illam Agni Paschalis huius Sacramenti figuram constituamus, confirmandum hoc est testimonijs Patrum. Dolet enim illis, quòd ex collatione istius figuræ cum veritate probemus, etiam rectè in cæremonijs huius sacramenti oblationem, & sacrificium à nobis fieri, sicut ille quoque agnus sacrificabatur. Ergò figuram hanc asserunt Tertull. lib. 4. contr. Marcionem. Chrysostom. de proditione Iudæ valdè pulchrè, & homil. 83. in Matth. Augustin. lib. 2. contra Petilianum c. 37. Origen. tom. 10. in Ioannem. Hesichius

lib.

lib. 2. in Leuitic. c. 8. Gregor. homil. 22. in Euang. Leo sermon. 7. de Passione. Rupertus Tuiciensis in comment. super Exod. Paschasius l. de corpore, & sanguine Domini, sub finem. Idem etiam insinuat Cyprian. libr. 2. epistol. 3. & Clemen. Rom. lib. 5. Constitut. Apost. c. 18.

Fuerunt præterea aliæ huius sacramenti figuræ, vel secundum species sensibiles huius sacramenti, vt sacrificium Melchisedech; vel secundum Christum in eo contentum, vt sacrificia Leuitica; vel secundum effectum spiritualem multiplicem, vt manna, quod habebat omnem saporis suauitatem.

Quin sit igitur Eucharistia sacramentum, & à Christo in cœna institutum, & antè promissum, & à Prophetis prædictum, & varijs veteribus figuris significatum, dubium prorsus nullum est.

Sed dolendum est summopere, & sanguineis deplorandum oculis, quòd tam multi ab isto sacramento abhorreant, multi tam tepidè, & raro ad illud accedant, aliqui etiam ad damnationem suam percipiant. Attamen non tantùm à mortalibus oportet esse liberum peccatis: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini:* Sed etiam à venialibus: nam *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Nónne Abraham, antequam tribus peregrinis cibum offerret, nónne priùs

1. Cor. 11

Ioan. 13.

Aduerſarium legis, & Prophetarum, c. 18.

Quo locó rectè D. Thom. docet, ex omnibus huius Sacram. veteribus figuris præcipuam fuiſſe ritum *Agni Paſchalis*. Nam tria maximè in hoc ſacramento conſiderari poſſunt: ſcilicet ſpecies ſenſibiles panis, & vini; Chriſtus in eis contentus; & effectus gratiæ ſalutaris. Secundum hæc omnia cæremonia, & eſus illius Agni fuit huius Sacram. typus. Nam & comedebatur cum panibus azymis, ſicut hoc ſacramentum ſumitur ſub ſpecie: & Chriſtum, innocentiſsimum agnum, in cruce immolatum, qui in hoc ſacram. continetur, & editur, ſignificabat: denique per ſanguinem quoque illius agni ſunt filij Iſraël liberati à deuaſtante Angelo, atque eruti de Ægyptiaca ſeruitute, quod fit ſpiritualiter per effectum gratiæ ſalutaris.

Exod. 12

Quia verò ægrè ferunt Sectarij, quòd cæremoniam illam Agni Paſchalis huius Sacramenti figuram conſtituamus, confirmandum hoc eſt teſtimonijs Patrum. Dolet enim illis, quòd ex collatione iſtius figuræ cum veritate probemus, etiam rectè in cæremonijs huius ſacramenti oblationem, & ſacrificium à nobis fieri, ſicut ille quoque agnus ſacrificabatur. Ergò figuram hanc aſſerunt Tertull. lib. 4. contr. Marcionem. Chryſoſtom. de proditione Iudæ valdè pulchrè, & homil. 83. in Matth. Auguſtin. lib. 2. contra Petilianum c. 37. Origen. tom. 10. in Ioannem. Heſichius

lib.

lib. 2. in Leuitic. c. 8. Gregor. homil. 22. in Euang. Leo sermon. 7. de Passione. Rupertus Tuiciensis in comment. super Exod. Paschasius l. de corpore, & sanguine Domini, sub finem. Idem etiam insinuat Cyprian. libr. 2. epistol. 3. & Clemen. Rom. lib. 5. Constitut. Apost. c. 18.

Fuerunt præterea aliæ huius sacramenti figuræ, vel secundum species sensibiles huius sacramenti, vt sacrificium Melchisedech; vel secundum Christum in eo contentum, vt sacrificia Leuitica; vel secundum effectum spiritualem multiplicem, vt manna, quod habebat omnem saporis suauitatem.

Quin sit igitur Eucharistia sacramentum, & à Christo in cœna institutum, & antè promissum, & à Prophetis prædictum, & varijs veteribus figuris significatum, dubium prorsus nullum est.

Sed dolendum est summopere, & sanguineis deplorandum oculis, quòd tam multi ab isto sacramento abhorreant, multi tam tepidè, & rarò ad illud accedant, aliqui etiam ad damnationem suam percipiant. Attamen non tantùm à mortalibus oportet esse liberum peccatis: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini:* Sed etiam à venialibus: nam *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Nónne Abraham, antequam tribus peregrinis cibum offerret, nónne priùs

1. Cor. 11

Ioan. 13.

 pedes

Gen.18. pedes eorum lauari volebat, & dicebat: *Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore?* Deinde addit: *Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Multò magis oportet nos aquam adferre per contritionem, lauare pedes per confeßionem, & requiescere sub arbore per vitæ emendationem, antequam cœlestem illum panem percipiamus corporis Domini. Cum Iosue loquentem audiuit Angelum, & dicentem: *Ego* Iosu.5. *sum princeps exercitus Domini, & nunc venio; cecidit pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue*, inquit, *calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est.* Quanto magis timere, & venerari oportet Sacerdotes Domini, qui Angelis sublimiores sunt: non enim potestatem illam habent Angeli, quæ data est Sacerdotibus Domini. Multi sanè diuites, & vani homines Sacerdotes contemnunt & tamen osculari vestigia pedum eorum digni non sunt. Cum peteret Dauid panes ab Achimelech, ille respondit: *Non habeo laicos panes ad* 1.Reg. 21. *manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Et sanctum illum panem nostrum, qui de cœlo descendit, immundus aliquis attingere audebit? Videat, ne idem illi eueniat, quod illi, qui ad nuptias Regis veniebat, & tamen veste nuptiali vestitus non erat. *Amice*, dicebat Rex, *quo-* Matt.22 *modo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

At

At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Vestem igitur nuptialem nobis comparemus, charitatem per pœnitentiam emamus, vt cœlesti hanc mensa corporis Domini reddamur digni. Amen.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

ISAAC veniens ad puteum iuramenti ædificauit ibi altare, & fixit ibi tabernaculum suum: veneruntque ad eum tres viri dicentes: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, fecit ergo eis conuiuium.* *Gen.26*

MORALITER: Per Isaac notatur Christus. Venit enim ad puteum iuramenti, quia *iurauit Dominus, & non pœnitebit eum,* dare vnicuique secundum opera sua. Distributor est enim misericordiæ, & veniæ largitor per pœnitentiam volentibus illam: sed illam respuentibus infert iudicium. Vnde Propheta: *Ps.109.*

Misericor-

Ps.100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Et hic est puteus latus, & profundus, vbi Christus fixit tabernaculum, & altare, id est, construxit Ecclesiam, & ordinauit confessionem, vt omnibus aquæ viuæ gratia pateat. Veniunt tres viri, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui per effectum se vidisse fatentur diuinitatem in Christo. Et coniuratio fit inter vtrosque, vt neutra pars alteri noceat.

Luc.15. EVANGELIVM: *Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores, vt audirent illum.*

THEMA: *Hic homo peccatores recipit, & manducat cum illis.*

Occasione verborum istorũ ostendemus, quemlibet hominem ratione vtentem habere sufficientem gratiam, seu auxilium ad salutares actiones: ita vt quouis tempore possit & in Deum se conuertere per pœnitentiam salutarem, si extra gratiam sit; & vincere tentationes, at peccata mortalia vitare, seruando mandata.

Prob. varijs Scripturæ testimonijs, quæ possunt in quinque classes diuidi.

Prima classis continet ea testimonia; ex quibus apparet, nihil minus Deum statuisse occulto suo iudicio, quam vt aliquibus, quãtum in ipso est, subtrahere velit nostrum auxilium, sed decreuisse potiùs adesse omnibus, & semper opitulari, quantum in ipso est.

Super

Super quem non fulget lumen illius? Et: *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.* Et: *Numerus dierum hominum, vt multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam. Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est, & cognouit subuersionem illorum, quoniam nequam est. Ideò adimpleuit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis.* Et: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et: *Qui est Saluator omnium hominum.* Et: *Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis* (generatim omnes inuitat) *audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Quam rem confirmans Apostolus, cùm dixisset Deum *permisisse in præteritis generationibus omnes gentes ingredi vias suas*, continenter subiunxit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* Qua de causa concludit, *Gentes fuisse inexcusabiles, quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Vbi apertè ostendit, per ipsos homines stetisse, quo minùs cum Dei auxilio, quod erat præsto, salutem adipiscerentur.

Iob 25. Prou. 3. Eccli. 18. Ioan. 1. 1. Tim. 4. Apoc. 3. Act. 14. Rom. 1.

Quo in genere testimoniorũ illustris maximè locus extat, vt Apostolus planè non modò sententiam nostram ponit, sed etiam duabus fortissimis rationibus cõfirmat, cùm

de

1.Tim.2 de Deo dicit: *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vnus enim est Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.*

Quo loco assertionem quidem nostram ponit verbis illis: *Qui omnes homines vult saluos fieri.* Etsi enim variæ expositiones à Doct. huic loco adhibeantur, illæ tamen maximè probandæ sunt, quæ etsi verbis discrepent, tamen eò tendunt, vt sit sensus, Deum, quantum in ipso situm est, velle omnes consequi salutem: sicut aperte D. Ambros. l. de Paradiso c. 8. & D. Prosper l. 2. de vocat. Gent. c. 9. (inter opera Ambros.) & D. Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ, c. 29. & D. Thom. 3. contra Gent. c. 161. tradunt. Quod qua ratione Deus velit, si nolit aliquibus tribuere auxilia ad id necessaria, ne intelligi quidem potest.

Prior autem ratio, qua id confirmat Apostolus, ex eo ducitur, quòd *vnus est Deus omnium*, qui scilicet absque vlla exceptione omnibus supernaturalem beatitudinem, tanquã finem vltimum præstituit. Id quod ociosè fecisset, si, quantum in ipso est, non etiam prouidere vellet omnibns de medijs, quibus ad eum finem peruenire possint. Hoc enim, exigit recta ratio ipsius sapientiæ, & prouidentię diuinæ.

Alteram rationem fortissimam ducit ex redem-

redemptione Apostolus. Hoc enim est prorsus, Christum *dedisse se pro omnibus redemptionem*, & vt alibi dicitur, *Mortuum esse pro omnibus*, id est, suis meritis compensasse ex iustitia æterno Patri omnia subsidia, quibus homines opus habent ex parte Dei, vt in gratiam ipsius redeant, & salutem consequantur: ac proinde à Deo impetrasse, vt deposita indignatione, quam propter peccatum aduersus hominem susceperat, omnibus velit præsto adesse, quò salutem consequi valeant, & ab omnibus quantumcunque grauibus peccatis resipiscere, & resurgere ad iustitiam; siquidē vt Ioannes ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*; id est, omnino pro omnibus. Quocirca asserere, aliquos esse, qui quantum est ex parte Dei, non possunt à peccatis resurgere, aut omnino salutem consequi, mihi quidem idem videtur esse, atque asserere, Christum non pro omnibus mortuum esse, neque dedisse se redemptionem pro omnibus.

1. Ioan. 2.

Et certè ex illis duabus rationibus, quibus Apostolus confirmat, Deum velle omnes homines saluos fieri, intelligi potest, sententiam illam Apostoli: *Qui vult omnes homines saluos fieri*, non eo modo solùm exponi debere, quo exponit eam D. August. lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & libr. de prædest. Sanc. c. 8. & libr. de correpr. & gratia, c. 14. Nempe vt sensus sit,

Deum

Deum velle quidem ſaluos fieri omnes, qui ſaluantur; non autem omnes ſimpliciter. Quamuis enim hæc interpretatio vera ſit, ſi ſententiam illam exponamus de voluntate Dei efficaci, quam Theologi ſolent vocare voluntatem Dei *conſequentem*; (efficaci namq; illos omnes Deus dumtaxat vult ſaluos fieri, qui ſaluantur) tamen ſupradictæ illæ rationes Apoſtoli oſtendunt, oportere quoque eam ſententiam de voluntate Dei *antecedente*, per quam Deus vult, quantum in ipſo eſt, omnes ſimpliciter ſaluos fieri per hoc, quod omnibus ſufficiens auxilium præbet, vt poſsint ſalutem conſequi. Nam eos omnes dicit ibi Apoſtolus Deum velle ſaluos fieri, quorum omnium dicit eſſe vnum Deum, & quorum omnium ait Chriſtum Ieſum eſſe mediatorem, & pro quibus omnibus affirmat Chriſtum dediſſe ſeipſum redemptionem. At hi omnes non ſolùm ſunt omnes illi, qui ſaluantur, ſed omnes omnino homines. Ergo non ſolùm omnes, qui ſaluantur, vult Deus voluntate efficaci, & conſequente ſaluos fieri; ſed etiam voluntate antecedente omnes omnino homines, per hoc ſcilicet, quod omnes omnino ſufficienter adiuuet, vt, quantum in Deo eſt, conſequi poſsint ſalutem.

Secunda claſsis continet ea teſtimonia, ex quibus intelligitur, non eſſe conſilium Dei, vt propter peccata, quantumuis multa, & grauia, deſtituat prorſus aliquem neceſſario auxilio.

auxilio. Id patet ex multis Script. locis, quibus etiam ex professo videtur Deus clementissimus voluisse eripere hominibus hanc falsam de ipso existimationem. Vti *Dixit Sion; dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci poterit mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Et: *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Et: *Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israël: Sic locuti estis dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Quò pertinet illa etiam vocatio Christi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Id est, omnes omninò peccatores, quantumuis grauibus criminibus onerati. Et illa etiam sententia Petri: *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes* (nullo excepto) *ad pœnitentiam reuerti.* Atq; illa etiam D. Pauli: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Hic certè vel eos, qui

Isa. 49.

Ierem. 3

Ezec. 33

Matt. 11

2. Pet. 3.

Rom. 2.

corde sunt duro, & impœnitenti, adeoque in grauissimis peccatis velut occalluerunt, significat Apostolus clementer à Deo necessarijs auxilijs inuitari. Vnde Sara Deum orans: Tob. 3. Hoc, inquit, *habet pro certo omnis, qui te colit, quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris.*

Tertia classis continet ea testimonia, ex quibus constat, Deum omnes homines sine vlla exceptione ad celerem conuersionem exhortari, ijsque, vt sine mora conuertantur, & piè viuant, præcipere. Omnes igitur, adiuuante Deo, id præstare possunt. Nam vt rectissimè Concilij Trident. Patres sess. 6. c. 11. ex D. Augustin. sententia l. de natura, & gratia, c. 43. tradiderunt: *Deus impossibilia non præcipit, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis.* Eius generis testimonia sunt hæc: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et: *Conuertimini, sicut in profundum recesseratis.* Et: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Et: *Conuertimini à vijs vestris pessimis.* Et infrà: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Quibus locis etiam maximi peccatores conuerti

Eccli. 5. Isa. 31. Isa. 65. Ezec. 33

conuerti iubentur, tanquam ij videlicet, qui quacunque die, & tempore conuerti poſſunt. Id quod etiam ſignificatur illis verbis: *Aemulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Atque etiam illis: *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et clariùs à D. Paulo, vbi propoſito hoc loco Pſalmi: *Videte*, inquit, *fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Certè hoc loco manifeſtè indicat Apoſtolus nullo non tempore, (quantum in Deo ſitum eſt) poſſe hominem conuerti, & piè agere.

Apoc. 3

Pſal. 94.
Heb. 3.

Quarta claſsis continet ea teſtimonia, ex quibus conſtat, vitio verti hominibus, quòd non conuertantur, & piè viuant, & idcircò puniri. Quod certè iniuſtè fieret, ſi per Deum ipſum ſtat, quò minùs aliqui poſsint conuerti, & piè agere. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Et: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* Et: *Eò, quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris,*

Prou. 1.

Mat. 23

2. Theſ. 2

roris,

roris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati. At occurrunt passim multa eiusmodi loca.

Quinta classis continet ea testimonia, in quibus affirmatur, omnes homines esse iam redemptos per Christum, & reconciliatos Deo Patri, idque abundanter, & cumulatè. Cùm enim hæc testimonia nequeant ita intelligi, quasi iam omnes homines ex parte etiam ipsorum sint reconciliati Deo, & redempti ex potestate diaboli, oportet intelligere id factum ex parte ipsius Dei, ita vt, quãtum in ipso est, neminem vnquam non velit in gratiam recipere, atque adeò præsto adsit omnibus, vt cum ipsius auxilio ei reconciliari, & piè agere possint. Quod ipsum est, vt Theologi tradunt, omnes esse redemptos quoad sufficientiam, non quoad efficaciam. Huius generis testimonia sunt. *Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici; de regionibus congregauit eos.* Et: *Copiosa apud Deum redemptio.* Et: *Pretio empti estis.* Et: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remißionem peccatorum.* Et: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius.* Et: *Delens, quod aduersum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud*

Ps. 106. *Ps. 129.* *1. Cor. 7.* *2. Cor. 5.* *Gal. 3.* *Ephes. 1.* *Coloss. 1.* *Coloss. 2.*

illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipsos. Et: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Tim. 2.

Ex quibus omnibus nemo adeò rudis, qui non assequatur, per Deum non stare.

DOMINICA IV.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

CVM Moyses eligeretur à Domino, vt præesset populo Israël, & ille se excusaret dicens: *Obsecro, Domine non sum eloquens ab heri, & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Respondit illi Dominus: *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? nónne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóq; te, quid loquaris.* Exod. 4.

MORALITER: Quod Moyses fuit in Testaméto veteri, hoc D. Petrus in nouo. Sicut ergo Dominus fuit in ore Moysis, & docuit illũ, quid loqueretur, ita etiã in ore Petri, & successorum eius, docetque eos, quid loquantur, ita vt in articulis fidei errare nõ possint. Et hoc est, quod in hodierno docetur Euangelio.

Luc. 5. EVANGELIVM: *Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum* DEI, *& ipse stabat secus stagnum Genesareth.*

THEMA: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*

Occasione horum verborum illud dogma statuimus: *Quotiescunque Rom. Pontifex in fidei quæstionibus definiendis illa, qua est præditus, auctoritate vtitur, ab omnibus fidelibus, tanquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sentẽtia, quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem eum ipsa auctoritate vti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam.*

Prior pars prob. ex his, quæ certa sunt. Nam, si D. Petro, tanquam vniuersali Ecclesiæ pastori, Christus auctoritatem tribuit, infallibiliter constituendi de quæstionibus fidei; & hęc eadem auctoritas Roman. Pontif. D. Petri successoribus diuinitus confertur; dubitari non potest, quin etiam Christi oues teneantur tunc salutarem pastum doctrinæ fidei acceptare, cùm vsu illius auctoritatis à Rom. Pontificibus ipsis ostenditur. Omnes enim inprimis obedientiam hanc suo Pastori, atque præposito debent, vt, si quid ille in quæstionibus fidei infallibiliter verum tradiderit, id sibi verissimum esse persuadeant, nec possint assentiri contrario.

Ac nisi eiusmodi auctoritatem docendi

Christus

Christus D. Petro, atque etiam successoribus eius attribuisset, sanè quidem nec absolutam curam pascendi Dominicum gregem suscepisset, (cùm pascatur ille inprimis veritate doctrinæ;) neque omninò claues regni cęlorum accepisset, cùm aperiantur inprimis cœli vera doctrina fidei, sine quâ *impoßibile est placere Deo.*

Ioan. vl.

Matt.16

Heb.11.

Huc etiam spectat illud Christi: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quod rectè ad officium docendi sancti Patres referunt. Hoc & ipse Petrus etiam illis verbis testatus est: *Viri, fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes Euangelium, & credere.* Atque eam etiam D. Petri auctoritatem D. Ambros. in c.5. Luc. pulchrè colligit eâ re à Christo significatam esse, quòd alijs præsentibus Apostolis, soli tamen Petro dixit: *Duc in altum*, id est, in profundum disputationum.

Luc.22.

Act.15.

Altera pars assert. confirmanda est: nempe toties Rom. Pontificem illâ docendi auctoritate vti, id est, infallibiliter asśistente spiritu sancto docere, quoties de rebus fidei controuersis alterutram sententiam ita determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam. Nisi enim etiam de hoc constet, dubitare liceret, num ob eam rem fortassis Pont. definitio in fidei quæstionibus falsa sit, quòd non sit vsus illa infallibili auctori-

tate docendi, qua est prǽditus.

Id autem vt probemus, distinguendi sunt modi, quibus potest contingere, Pont. aliquid asserere.

Primò enim potest sibi persuadere, aut asserere aliquid, vt priuata persona quædam, vel Doctor alius quispiam. Vt, si nollet Ecclesiam vniuersam ad recipiendam assertionem suam obligare, sed tantùm sententiam ipse suam reputaret veram. Hoc modo Innocent. III. & nonnulli alij Pont. opuscula varia ediderunt. Ac illa quidem, quæ sit Pontif. asseuerat, communis senteṫia Theologorum omnium est, non oportere esse omnia vera, & infallibilia, quasi à Pontificia auctoritate profecta. Quinimò à quibusdam auctoribus conceditur, fieri posse, vt Pont. tanquam quædam priuata persona, in hæresin labatur. Quod & quandoq; euenisse, ex VI. & VII. Synodo generali, itemq; ex nonnullis Pont. epistolis nonnulli colligunt, nimirum ex epist. Adriani, vt habetur in VIII. Synodo, act. 7. & ex epist. Agathonis, vt habetur in VI. Synodo, act. 4. in quibus commemoratur, Honorium Pont. defunctum condemnatum esse, tanquam infectum errore Eutychetis, de vna voluntate, & operatione Christi. Et quãquam Albertus Pyghius Campen. l. 4. Eccles. hierarch. c. 8. & ante eum Ioannes à Turrecrem. l. 2. de Ecclesia, c. 93. piè conentur, hunc Pontificem (sicut nonnullos alios,

de

de quibus minor difficultas eſt) à nota hæreſis vindicare, defendantque, eum aut omninò damnatum ab Eccleſia non fuiſſe, aut non niſi ſecundum falsò allegata, & probata fuiſſe damnatum; tamen (quidquid de ea quæſtione particularis facti ſtatuatur) videtur ſaltem in illis Concilijs, & epiſtolis Pont. aut etiam in Concilio V. Rom. ſub Symmacho can. 3. admitti, tanquam poſsibilis eiuſmodi caſus, quo ſcilicet Roman. Pontif. in hęreſim priuatim labatur.

Secundò modo poteſt Pont. aliquid aſſerere obligando vniuerſam Eccleſiam, vt illud recipiat, nec quiſquam audeat ſibi perſuadere contrarium. Et quęcunque Pont. in aliqua de religione controuerſia ſic aſſerit, certa fide credendum eſt illum infallibiliter, & proinde ex auctoritate Pontificia, id eſt, ex diuina aſſiſtentia, id aſſerere. Atq; hoc ipſum eſt, quod ponimus in 2. parte aſſertionis.

Quidquid Spiritus ſancti afflatu, & inſtinctu à ſummo Pontifice determinatur, id vniuerſa Eccleſia tenetur recipere. At quidquid Pontifex auctoritate Pontificia determinat, inſtinctu Spiritus ſancti determinat. Ergò quidquid auctoritate Pontificia determinat, id vniuerſa Eccleſia tenetur ſeruare.

Maior prob. Nam cùm Chriſtus dedit Petro, & ſucceſſoribus, auctoritatem regendi totum Eccleſiæ ouile; atque adeò illud paſcendi verbo doctrinæ, dubium non eſt, quin

etiā oues vniuersas obligauerit, ad sui Pastoris, atque Præpositi vocem audiendam; idque tunc præcipuè, cùm Pastoris cura, & ducatus maximè illis necessarius est, videlicet in rebus de fide, ac religione controuersis. Quinimò Diuum Petrum habuisse, & successores eius, Rom. Pont. nunc habere potestatem à Christo cum auctoritate docendi vniuersam Ecclesiam, hoc ipsum sanè est, ita docendi munus illis commissum esse à Christo, vt eorum voces audire vniuersi fideles teneātur. Quod præclarè intelligens D. Cyprianus l. 1. epist. 3. verissimè illud scriptum reliquit: *Non aliunde hæreses oriri, quàm quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

Minor patet ex promissionibus diuinis, quas habet Ecclesia de doctrina veritatis certissimas, ne vnquam tota in errorem induci possit: item ex Script. quibus constat, ordinaria lege Spiritum sanctum, non per aliquē alium hominem singularem veritatem suggerere vniuersæ Ecclesiæ (cum obligatione acceptandi) nisi per legitimum Pastorem, cui nimirum sunt oues Christi traditę pascendæ, & super quem ædificata est ipsa Ecclesia.

Ac sanè instar petræ firmissimas, maximęque infallibiles eiusmodi Pontificum Romanor. definitiones esse, passim est à S. Patribus, & Concilijs constitutum, vt videre est in plerisque testimonijs, vt iure prorsus, ac meri-

meritò Leo X. articulum etiam Lutheri 28. damnauerit, qui continebat, non obſtante determinatione Pont. poſſe quempiam contra eam ſentire; in Bulla damnationis Lutheri. Ac eandem propoſitionem tanquam hæreticam damnauit Sixtus IV. in Concil. Complutenſi contra Petrum quendam Oxonienſem.

Poſtremò id probare poſſumus ex perpetua praxi Eccleſiæ. Si enim iam vſque ab exordio Eccleſiæ memoriam temporis ordine repetamus, conſtat profectò, controuerſias omnes de religione motas ex D. Petri cathedra fuiſſe iudicatas, eoſque tandem, & ſolos communi iudicio Eccleſiæ hæreticos eſſe habitos, qui repugnarunt definitioni eiuſdem cathedræ. Etenim ortam quæſtionem de obſeruatione legalium inprimis ipſe D. Petrus in Apoſtolici Concilio terminauit. Deinde, qui volebant Paſcha non niſi decima quarta luna, etiamſi Dominicus dies tunc non eſſet, celebrari debere, tandem obtinente ſententia, atque definitione Roman. Pontificis Victoris, hæretici ſunt habiti, vt patet ex Euſeb. lib. 5. cap. 23. & 24. & à propria ſecta nominati Quartadecimani, vt patet ex Epiphan. hæreſ. 50.

Act. 15.

Item, Cornelius in Concilio Rom. Nouatianorum damnauit errorem, vt patet ex Euſeb. l. 6. c. 33.

Item, damnauit idem Cornelius (teſte

Euſeb.

Euseb. l.7.c.2.) atque etiam Stephanus errorem rebaptizantium hæreticos, teste D. Augustin. lib.5. de bapt. contra Donatistas c.23 Idque apparet etiam ex D. Cypriano in epist ad Pompeium, quam epistolam D. etiam August. illic commemorat.

Item, damnati sunt Arriani in Concilio Nicæno, (vt patet ex actis eiusdem Concilij) Syluestri legatis, Vito, & Vincentio, & Hosio in eo præsidentibus; & eodem posteà Syluestro, ad Patrum petitionem, Concilio id confirmante.

Item, Macedoniani in Concilio primo Constantinop. quod Damasus Pont. ad eum finem suis litteris mandauit congregari, vt apparet ex Theodoreto l.5.c.9.

Item, Nestoriani in Concilio Ephesino, Cælestini Pontif. vices gerente D. Cyrillo, vt patet ex Euagrio l.1.c.4.

Item, Eutychiani in Concilio Chalcedonensi, Paschasino, & Lucentio, locum Leonis tenentibus, vt patet ex actis eiusdem Concilij.

Item, Pelagiani ab Innocentio, & Sozimo, vt patet ex Augustin. lib.2. retract. c.50.

Item, Monotholitæ in Synodo VI. & Iconomachi in VII. similiter præsidentibus Rom. Pontificis legatis, vt patet ex actis illorum Conciliorum.

Item, error Berengarij à Leone IX. in Concilio Vercell. & Nicolai II. in Concilio

lio Rom. & ab alijs Pontificibus.

Item, Petri Abailardi ab Innocen. II. epist. 195. inter epistolas D. Bernardi.

Item, Gilberti Porretani ab Eugenio III. in Cōcilio Remensi, teste D. Bernardo serm. 8. in Cant.

Item, Abbatis Ioachimi ab Innocen. III. in magno Concilio Lateranensi sub eodem Pontif.

Item, Begardorum, & Beguinarum à Clemente V. in Clement. ad nostrum, de hæreticis.

Item, Ioannis VViclephi, & Ioannis Huss. à Martino V. in Concilio Constant.

Et Græcorum ab Eugenio IV. in Concilio Florent. vt dubitare iam nemo possit, quin sententiæ quoque nostri temporis Sectariorum, similiter à diuersis hoc nostro seculo Pontificibus condemnatæ hæreticæ sint.

Morale ad Euangelium. Considerandum est, quadruplicem esse nauem: nimirum crucem triumphalem, mentem rationalem, pœnitentiam salutarem, Ecclesiam vniuersalem. De cruce: *Ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Glossa: Hæc nauicula est crux Christi, cuius beneficio ad littus patriæ cœlestis venimus. Vnde Sapiens: *Exiguo ligno credunt homines animas suas transeuntes mare, & per ratem liberati sunt.* Isidorus: Quocunque metu procellis mundi inuo-

Matt. 8.

Sap. 14.

inuolueris, lignum aſcende crucis, vt à mari, id eſt, tempeſtate ſæculi libereris. In hac naui Chriſtus obdormiuit moriendo. De tempeſtate circa hanc nauem orta dicitur, quòd tenebræ factæ ſint, petræ ſciſſæ ſint, & velum templi.

Matt.27

Porrò in tempeſtate ſolent homines iniuriantibus ignoſcere: ſicut & Chriſtus: *Pater dimitte illis.* In quo exemplum dedit nobis ignoſcendi alijs. Item ſolent Deum inuocare: ſic & Chriſtus: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Item ſolent naues exonerare: nam in tempeſtate illa tempore Ionæ *clamauerunt viri ad Deum ſuum, & miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuaretur ab eis.* Sic & Chriſtus exonerauit ſe, quia veſtem, ſanguinem, & animam dimiſit. Sicut etiam Ionas de naui ad ſalutem aliorum proiectus, in ventrem ceti venit: ſic anima Chriſti de naui crucis, in ventrem inferni deſcendit.

Luc. 23. *Matt.27* *Iona 1.* *Iona 2.*

De mente rationali: *Dies mei tranſierunt, ſicut naues poma portantes.* Dies & naues ſunt mentes, vel animæ fideles: poma ſunt virtutes, & redoleſcentia opera. Hæc nauis exoneranda eſt ab omni peccato, & iniuſta poſſeſsione, ne mergatur in profundum. *Sequenti die iactum fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt.* Auguſtinus: Naufragium fugis, & plumbum amplecteris. Item effundenda eſt concupiſcentiæ aqua in confeſsione, quæ per rimas ſenſuum intrat. *Effunde, ſicut aquam,*

Iob 9. *Act.27* *Thren.2.*

aquam, cor tuum. Item regenda eſt cum ſolicitudine propter diuerſa pericula: *Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illuc naues pertranſibunt.* Ambroſius: Valdè nobis pertimeſcendum eſt, ne nauem noſtram aut procella tempeſtatis abripiat, aut fluctibus abſorbeat, aut in æternã prędam pyrata crudelis abducat.

Pſ. 103.

De pœnitentia ſalutari: *Me exſpectant inſulæ, & naues maris in principio, vt abducam filios tuos de longè.* Peccatores ſunt longè elongatione culpæ, morantur in inſulis falſæ ſecuritatis, adducuntur per naues pœnitentiæ, vt fiant filij Eccleſiæ: *Filij tui de longè venient.* Sicut enim homo, qui relinquit nauem, ſic qui relinquit pœnitentiam, ſubmergitur, imò cum Iona à piſce diabolo deglutitur. Teneat ergo ſe in pœnitentia, qui non vult ſubmergi in culpã. Hieronymus: Pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula. Item, ſicut motus nauis, ſic motus pœnitentiæ vomitum prouocat in confeſſione. *Vome, & refrigerabit te.* Item, ſicut in vltimo periculo nauis, quando iam aqua intrat in nauem, ita conſtanter pœnitentes clamare debent in oratione cum Pſalmiſta: *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.*

Iſa. 60. Ibid. Iona 2. Eccli. 31. Pſal. 68.

De Eccleſia vniuerſali: *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem.* In hac Chriſtus adoratur: *Qui autem in nauicula erant, venerunt,* &

Prou. vl. Mat. 14

& adorauerunt eum. De hâc in præſenti Euangelio dicitur: *Vidit duas naues*: quæ ſignificant Eccleſiam, & Synagogam, nauis Eccleſiæ habet gubernaculum fidei dirigentis. S. Iacob. *Naues, cùm magnæ ſint, modico gubernaculo circumferuntur, vbi impetus dirigentis voluerit.* Magnæ naues ſunt omnes Eccleſiæ: mirabile gubernaculum eſt fides, quæ nauem Eccleſiæ per mare, & per terram, id eſt, per aduerſa, & proſpera dirigit. *Fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram.* Item, habet anchoram ſpei ſtabilientis: *Fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, & firmam.* Gregorius: Quamuis adhuc rerum perturbationibus animus fluctuetur, tamen ſpei veſtræ anchoram in æternam patriam figite, intentionem æterna luce ſolidate. Item, habet velum charitatis trahentis. *Byſſus varia de AEgypto texta eſt in velum, vt poneretur in malo,* id eſt, in Chriſto. Ad modum enim velaminis, quando charitas malo, id eſt, Chriſto, fortiter adhæret, quantò magis ventis tribulationum impellitur, tantò citiùs ad portum ſalutis æternæ peruenitur.

Luc. 5. *Iac. 3.* *Heb. 11.* *Heb. 6.* *Ezec. 27*

DO-

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Exordium:

CVm vxor Ieroboam, Regis Israël, veniret ad Ahiam Prophetam, ille respondit ei durum nuncium: *Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli, quia Dominus locutus est.* 3. Reg. 14.

MORALITER: Canes illi, & aues contumeliosos significant, & detractores, qui & præsentes sua lingua comedunt, & absentes rodunt. Siue enim in ciuitate fuerint, id est, amicorum turba, domorum copia, & bonorum opulentia circumcincti; siue in agro, id est, in nuditate & egestate constituti; canes, & aues eos deuorant, quorum honorem iniuriosis verbis, & contumeliosis lacerant.

EVANGELIVM: *Dixit Iesus discipulis suis: Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matt. 5.

THEMA: *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Occasione horum verborum de vitio contumeliæ erit disserendum. Explicatur verò ratio contumeliæ eodem ferè modo ab omnibus ex sententia D. Thom. 2. 2. qu. 72. art. 1.

& 4. vt videre est apud Syluestrum, & alios Summistas, verbo, Contumelia, & Sotum l. 5. de Iustitia, qu. 9. art. 1. & Nauar. in Manual. c. 18. num. 10. 11. 12. Itaque *Contumelia propriè loquendo consistit in hoc, vt quis auferat honorem alicui, deducendo in notitiam eius, & aliorum, atque adeò significando ei, aut etiam alijs aliquid, quod sit contra honorem eius.*

Hanc esse rationem Contumeliæ, dupliciter confirmari potest.

Primò ex etymo vocabuli. Nam Contumelia vel dicitur à tumendo per quandam iracundiam animi, vt vult Isidor. l. 10. Etym. c. 3. Ita cùm Laban contumeliosè dixisset ad Iacob: *Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus Patris tui: cur furatus es Deos meos?* Et cùm visitasset omnia tabernacula eius: tumēs Iacob cum iurgio ait: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam?* Vel dicitur à contemnendo, vt vult Vlpianus, lib. 1. ff. de iniurijs. Ita cùm Saul electus esset in Regem, filij Belial dixerunt: *Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum.* Et vtroque modo optimè huius notiones vocabuli in prædictā Contumeliæ descriptionem quadrant.

Gen. 31.

1. Reg. 10.

Secundò confirmatur descriptio per viam diuisionis sic: Nam cùm contumelia sit quædam alterius dehonestatio, vel debet esse dehonestatio tollens excellentiam aliquam, quę sit fundamentum honoris; vel tollens ipsum

honorem ſignificando aliquem excellentiæ defectum. Sed primùm non poteſt dici; cùm id fiat per iniuſtitias alias, quibus reipſa exſpoliatur quis bono aliquo, quo excellentia aliqua eius contineatur. Ergò in ſecundo fatendum eſt contumeliam conſiſtere.

Ex hac autem deſcriptione contumeliæ quædam notanda ſunt.

Primò ſequitur, Contumeliam præcipuè quidem conſiſtere in verbis, vt docet D. Tho. ſup. & alij communiter. Nam conſiſtit in ſignificando defectum aliquem excellentiæ in altero, vt dictum eſt. Significatio autem præcipuè fit per verba, dicente Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 3. *Verba obtinuiſſe ſignificandi principatum apud homines.* Ita contumelioſè loquebantur fratres de Ioſeph, dicentes: *Ecce ſomniator venit: venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem; dicemúſque: fera peſſima deuorauit eum: & tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua.* Gen. 37.

Secundò ſequitur, Contumeliam etiam in factis poſſe conſiſtere, licet minùs principaliter, vt ait D. Thom. Prob. Nam aliqua facta habent vim ſignificandi. Vnde Gloſſa interlin. ſuper illud: *Contumelioſos, ſuperbos, &c.* Rom. 1. *Contumelioſi,* inquit, *ſunt, qui dictis, vel factis contumelias, vel turpia inferunt.* Ita fratres Ioſeph in ſignum contumeliæ, *Confeſtim vt peruenit ad eos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita, miſeruntq́ eum in ciſternam ve-* Gen. 37.

terem, quæ non habebat aquam.

Tertiò ſequitur, hæc tria, *Conuitium, Contumeliam,* & *Improperium*, minimè differre ſpecie, vt rectè notat Caietan. hîc, & Sotus vbi ſup. ex doctrina D. Thom. artic. 1. ad 3. Nam ad idem referuntur, videlicet ad ſignificandum defectum alicuius in detrimentum honoris eius. Nam quando ſignificatur defectus in malo culpæ, dicitur *Contumelia*, vt ſi quis cuipiam diceret, ipſum eſſe furem. Sicut ſup. audiuimus de Laban, qui furti arguebat Iacob. Cùm ſignificatur defectus in malo pœnæ, dicitur *Conuitium*; vt ſi quis dicat alicui, ipſum eſſe cæcum, ſurdum, &c.

Gen. 31.

4. Reg. 2

Ita *cùm Eliſæus aſcenderet per viam, pueri parui egreßi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende, calue, aſcende, calue.* Cùm ſignificatur defectus in malo indigentiæ minuentis excellentiam, dicitur *Improperium.* Ita crucifixo Domino *Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & ſenioribus dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Et hoc maximè fit, cùm quis iniurioſè facit alteri recordationem auxilij, aut beneficij, quod ei in neceſsitate conſtituto præſtitit: iuxta illud: *Exigua dabit, & multa improperabit.* Contra autem Deus: *Dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Mat. 27

Eccli. 20

Iac. 1.

Quartò ſequitur, Contumeliam omnino aduerſari iuſtitiæ commutatiuæ: quandoquidem per contumeliam infertur homini damnum

num quoddam dedecoris, & despectus; atque adeò ei aufertur potentia quædam, seu dispositio proxima ad cõtrarium honorem actualem pro loco, & tempore, &c qui tum in actu, tum etiam in potentia consideratus numeratur, moraliter loquendo, inter bona hominis. Dico autem, per contumeliam auferri homini potentiam quandam, & dispositionem proximam ad actualem honorem pro loco, & tempore; & non dico auferri ipsum actualem honorem: nam iniustitia contumeliæ, de qua hîc agimus, non consistit per se loquendo in negatione actualis honoris. Tunc enim contumelia non haberet locum tempore, quo aliquis non obligatur ad exhibendum actu honorem & reuerentiam alteri: siquidem non auferret ei, quod tunc est, aut debet esse suum. Item neque consistit præcisè in solo actu contrario dehonestationis: nam eo ipso præcisè nullum bonum alteri adimitur, sed tantùm infertur, quoddam dedecoris malum, contra præceptum negatiuum virtutis obseruantiæ. Debet ergo explicari iniustitia contumeliæ ita, vt, sicut diximus, consistat in hoc, quòd quis adimit alteri bonum illud dispositionis, & potentiæ proximæ ad actualem honorem pro loco, & tempore accipiendum. Ita contumeliosè, & iniustè accusauit vxor Putipharis Ioseph apud maritum suum, dicens: *Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: cumq; audisset me clamare,*

Gen. 39.

mare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.

Quintò ſequitur, nihil intereſſe ad rationem contumeliæ, vtrum quis coram, vel in abſentia alterius contumeliam ei inferat, alijs præſentibus: neque vtrum ipſe per ſe alteri manifeſtet contumeliam, vel per alios: neque vtrum ad breue, vel ad longum tempus nolit eſſe paratus alteri honorem, & reuerentiam exhibere. Hęc enim omnia tantùm pertinent ad maiorem, vel minorem grauitatem contumeliæ. De ratione autem contumeliæ ſolùm eſt, vt quis ſignificet aliquid in detrimẽtum honoris alterius eâ intentione, vt alter id intelligat. Quod poteſt quis conari etiam in abſentia, dicendo defectum alijs eâ mente, vt ad alterum deferant; & hoc ſiue prodendo ſe, ſiue occultando.

Atque idcircò, vt omnes hos contumeliæ modos D. Thom. complecteretur, dixit ar. 1. contumeliam inferri, cùm quis id, quod eſt contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius & aliorum; quod poteſt fieri omnibus illis modis, vt rectè notat Sotus in d. q. 9 ar. 1. Quòd autem addidit D. Thom. & aliorum, non addidit tanquam neceſſarium; poteſt enim inferri contumelia alicui ipſo ſolo præſente, vt idem D. Thom. expreſsè declarat in ſolut. 2.

Ita viri ciuitatis Sodomæ, qui vallauerant domum Loth dixerunt illi in faciem contu-

me-

meliosè: *Recede illuc.* Et rursus: *Egressus es, inquiunt, vt aduena; nunquid vt iudices?* At Sennacherib Rex Assyriorum per legatos suos contumeliosè locutus est Ezechiæ, quando misit Tharthan, & Rabsaris, & Rabsacen ad eum dicentes: *Quæ est ista fiducia, quâ niteris? forsitan inisti consilium, vt præpares te ad prœlium. In quo confidis, vt audeas rebellare?*

Gen. 19.

4. Reg. 18.

Sextò sequitur posse quoque inferri contumeliam per talia facta, quæ etiam absolutè inferant aliundè iniuriam, vt facta sunt; & non solùm, vt signa irreuerentis animi. Et potest etiam fieri, vt tantùm deformitatem habeant contumeliæ, vt signa sunt. Vt v. g. si quis sollicitaret vxorem proximi ad eum etiam dedecorandum, duplex esset iniuria; nimirum adulterij, & contumeliæ. Si quis autem signo aliquo manu dato alicui conuitietur, tantùm est contumelia. Ita non tantùm signa erant irreuerentis animi, sed etiam facta in se valdè contumeliosa, quando *Hanon Rex Ammonitarum tulit seruos Dauid, rasitq́; dimidiã partem barbæ eorum & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos.*

2. Reg. 10.

Septimò sequitur ex assignata ratione, verum esse, quod docet S. Gregor. l. 31. moral. c. 31. & D. Thom. artic. 4. contumeliam potissimùm oriri solere ex irâ. Nam licet vnum peccatum possit oriri ex varijs peccatis, ex illo tamen frequentiùs oritur, ad cuius finem frequentius confert. Sed ad finem iræ, qui est

vindicta, frequentius confert contumelia: Ergo ex ira maximè oritur. Minor prob. Nam irato nullum malum, quod inferat alteri vindictam, tam est in promptu, quàm malum contumeliæ, vtpote quod solis verbis infertur. Ita cum Sara increparet vnam ancillarum suarum pro culpa, quam commiserat, illa respondit ex ira: *Ampliùs ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Nunquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros?* Nec tamen est negandū, vt in eodem art. in solutionibus argumentorum declarat D. Thom. oriatur etiam contumelia ex superbia, & stultitia, quatenus cum his facilè solet esse coniuncta ira. Nam superbus ægrè fert, quidquid illi est contrarium, & ideo procliuis est ad iram: & stultus non consulit rationem, quæ iram moderatur. Quare hoc ipso, quod contumelia oritur ex ira, oritur etiam plerumque ex superbia, & stultitia. Iuxta illud: *Vbi superbia, ibi contumelia.* Et: *Stulti miscentur contumelijs.*

Tob. 3.

Prou. 10

Prou. 20

Vltimò sequitur, nasci quoque obligationem restituendi ex contumelia, cùm per eam violetur iustitia. Circa quod tamen rectè notat Caiet. art. 3. per se loquendo eam restitutionem sufficienter fieri, si quis mutet voluntatem, & exhibeat alteri reuerentiam; vt etiā docet D. Thom. sup. qu. 62. art. 2. ad 3. Quis autem modus, in varijs casibus censendus sit necessarius, vt ad reuerà fiat; num scilicet re-

quiratur

quiratur petitio veniæ, qua inprimis exhibetur reuerentia; num aliquis alius modus, est prudentiæ relinquendum. Per se enim existimat Caiet. petitionem veniæ non requiri, sed sufficere restitutionem honoris ablati: sicut etiam sufficit restitutio rei ablatæ in alijs materijs iustitiæ, absque petitione veniæ de iniuria illata. Nihilominùs non puto, Caietanum velle per hoc negare, quin regulariter loquendo, maximè propter consuetudinem, quæ id jam obtinuit, inter æquales præsertim debeat fieri restitutio petendo veniam. Et ita exponendi sunt S. Doctores qui id vt plurimùm requirunt. Ita cùm maledixisset Semei Dauid dicens: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Posteà Dauid in regnum restituto, Semei prostratus coram Rege dixit ad eum: *Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die, quâ egressus es, Domine mi Rex, de Ierusalem, neque ponas Rex in corde tuo. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum.*

2. Reg. 16.

2 Reg. 19.

Quæ cùm ita sint, meritò deplorat S. Iacobus linguam hominum indomabilem esse. Equi reguntur freno; naues modico gubernaculo: *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita*

Iac. 3.

sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. Quisque ergo linguam suam refrenare studeat, vt per eam charitatem proximi non lædat, sed per charitatem proximi transeat in perpetuum amorem Dei. Amen.

DOMINICA VI.
POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

2. Reg. 9. INquirebat Dauid: *Putásne, est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathan?* Et oblatus est ei Miphiboseth, *Filius Ionathæ, debilis pedibus.* Cui ait Dauid: *Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, propter Ionathan Patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul, Patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.*

MORALITER: Miphiboseth debilis pedibus designat proximum nostrum, qui vtroque pede frequenter claudicat, quia defectibus animæ, & corporis laborat: quando quis autem patienter eos tolerat, & pro viribus suis proximo succurrit, ille profectò misericordiam cum Miphiboseth facit. Ita etiam in hodierno Saluator noster fecit Euangelio: Mar. 8. nam animas turbæ verbo veritatis pauit, &

corpora

corpora eorum panibus refecit. An nō mensæ suæ illos adhibuit? Septem panibus quatuor millia hominum satiauit.

EVANGELIVM: *Cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis, ait: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Ibid.

Occasione verborum horum agemus de Misericordia: quid propriè illa sit?

Ratio misericordiæ tum à Philosopho l. 2. Rhet. c. 8. tum à D. Augustin. l. 19. de ciuit. Dei, c 5. describitur: sed non planè eodem modo. Nam aliquid in ea descriptione ponit Philosophus, quod omittit Augustinus; & aliquid Augustinus, quod omittit Philosophus. Quin etiam vtra ea, quę vterque ponit, addit aliquid D. Thom. 2. 2. qu. 30. art. 1. Sed tamen ex doctrina horum trium licebit colligere bonam, & plenam misericordiæ descriptionem. Aristoteles igitur loco citato sic describit misericordiam: *Commiseratio*, inquit, *est dolor quidam ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in indignum pati, quod ipse putabit se pati, vel suorum aliquem, idq; sic, vt propinquum videatur.*

D. Aug. vbi sup. describit hoc pacto: *Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, quâ vtique, si possumus, subuenire compellimur.* Vbi quod August. in hac descriptione ponit, Misericordiam esse cōpassionem talem, ex quâ,

si facultas suppetat, compellamur subuenire, omissum est à Philosopho: sicut contrà, quod Philosophus in descriptione suâ posuit, Misericordiam esse de malo inferente dolorem in indignum; itemque de malo, quod propinquum videatur, omissum est ab August. Atq; etiam illud, quod Aristoteles ibid. ait, debere miserentem putare seipsum pati, id est, misericordiam esse de malo, vt proprio, prętериuit August. Addit quoque præter ista omnia D. Thom. hîc, art. 1. Misericordiam esse de malo inuoluntario. Quę quidem omnia vera sunt: si tamen illud, quod Aristoteles ibidem ait, misericordiam esse de malo, quod videatur propinquum, non ita intelligatur, quasi necesse sit semper malum, de quo est misericordia, apprehendi, vt iam vrgens, vel instans, & vicinum: sed quia ordinariè quidem non solet esse, nisi de præsenti, vel propinquo malo. Nam cõstat alioquin concitari animũ quandoque misericordiâ erga mala, quæ multis ante seculis contigerunt: vt cum Christo domino patienti, & Martyribus compatimur, quorum passiones ante mille, vel mille quingentos annos contigerunt. ac non aliter, quã hoc modo intelligendum Philosophum esse, colligi potest ex eius verbis. Sic enim lib. 2. Rhet. c. 8. dicit: *Affectiones tunc miserabiles sunt, quando præsentes cernuntur, quæ à mille annis antè fuerunt, vel futuræ sunt, vel omninò non miserantur, vel non similiter*, id est, ordinariè non ita
vehe-

vehementer, ſicut ſolent præſentes.

Iam igitur ex doctrinâ illâ D. Auguſt. & Philoſophi, & D. Thom. colligamus miſericordiæ deſcriptionem plenam hoc modo: *Miſericordia eſt dolor, ſiue triſtitia de malo alieno, inuoluntario, æſtimato vt proprio, & aliquo modo cõtra perſonæ miſerabilis dignitatem, cui ſubuenire velit miſerans, quantum in ipſo ſit, & commodè poßit.*

I. Dicimus, miſericordiam eſſe dolorem. hoc patet: nam, vt docet D. Damaſcenus, l. 2. fidei Orthod. c. 14. & D. Thom. ſup. ar. 1. Miſericordia eſt quaſi quædam ſpecies doloris, ſiue triſtitiæ. Triſtitia enim eſt dolor de malo proprio: miſericordia verò eſt dolor de malo proximi æſtimato vt proprio. Cum autem eiuſmodi dolor, ſeu triſtitia, quam dicimus eſſe miſericordiam, poſsit eſſe actus tum appetitus ſenſitiui, vt eſt ſcilicet vna ex paſsionibus; tum etiam voluntatis, vt in voluntate ſunt quidam actus paſsionibus ſimiles; in propoſito potiſsimùm quidem loquimur de miſericordiâ, vt eſt actus voluntatis. Nam loquimur de illâ, vt eſt conſequens ex charitate, atque adeò, vt tam latè patet ergà proximos, quàm ipſa charitas, quę eſt item in voluntate. Ita *Samuel lugebat Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd conſtituiſſet eum regem ſuper Iſraël*. Et Dauid intelligens mortem Saul, & Ionathæ: *Doleo*, dicebat, *ſuper te, frater*

1. Reg. 15.

2. Reg. 1

mi.

si facultas suppetat, compellamur subuenire, omissum est à Philosopho: sicut contrà, quod Philosophus in descriptione suâ posuit, Misericordiam esse de malo inferente dolorem in indignum; itemque de malo, quod propinquum videatur, omissum est ab August. Atq; etiam illud, quod Aristoteles ibid. ait, debere miserentem putare seipsum pati, id est, misericordiam esse de malo, vt proprio, preteriuit August. Addit quoque præter ista omnia D. Thom. hîc, art. 1. Misericordiam esse de malo inuoluntario. Quę quidem omnia vera sunt: si tamen illud, quod Aristoteles ibidem ait, misericordiam esse de malo, quod videatur propinquum, non ita intelligatur, quasi necesse sit semper malum, de quo est misericordia, apprehendi, vt iam vrgens, vel instans, & vicinum: sed quia ordinariè quidem non solet esse, nisi de præsenti, vel propinquo malo. Nam cõstat alioquin concitari animũ quandoque misericordiâ erga mala, quæ multis antè seculis contigerunt: vt cum Christo domino patienti, & Martyribus compatimur, quorum pasiones ante mille, vel mille quingentos annos contigerunt. ac non aliter, quã hoc modo intelligendum Philosophum esse, colligi potest ex eius verbis. Sic enim lib. 2. Rhet. c. 8. dicit: *Affectiones tunc miserabiles sunt, quando præsentes cernuntur, quæ à mille annis antè fuerunt, vel futuræ sunt, vel omninò non miserantur, vel non similiter*, id est, ordinariè non ita vehe-

vehementer, sicut solent præsentes.

Iam igitur ex doctrinâ illâ D. August. & Philosophi, & D. Thom. colligamus misericordiæ descriptionem plenam hoc modo: *Misericordia est dolor, siue tristitia de malo alieno, inuoluntario, æstimato vt proprio, & aliquo modo cōtra personæ miserabilis dignitatem, cui subuenire velit miserans, quantum in ipso sit, & commodè poßit.*

I. Dicimus, misericordiam esse dolorem. hoc patet: nam, vt docet D. Damascenus, l. 2. fidei Orthod. c. 14. & D. Thom. sup. ar. 1. Misericordia est quasi quædam species doloris, siue tristitiæ. Tristitia enim est dolor de malo proprio: misericordia verò est dolor de malo proximi æstimato vt proprio. Cum autem eiusmodi dolor, seu tristitia, quam dicimus esse misericordiam, possit esse actus tum appetitus sensitiui, vt est scilicet vna ex passionibus; tum etiam voluntatis, vt in voluntate sunt quidam actus passionibus similes; in proposito potissimùm quidem loquimur de misericordiâ, vt est actus voluntatis. Nam loquimur de illâ, vt est consequens ex charitate, atque adeò, vt tam latè patet ergà proximos, quàm ipsa charitas, quę est item in voluntate. Ita *Samuel lugebat Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum regem super Israël*. Et Dauid intelligens mortem Saul, & Ionathæ: *Doleo*, dicebat, *super te, frater*

1. Reg. 15.

2. Reg. 1.

mi.

mi, Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorẽ mulierum. Quomodò ceciderunt robusti, & perierũt arma bellica.

II. Dicimus Misericordiam esse de malo. Cùm autem omne malum consistat in defectu aliquo, inde fit, vt obiectum, siue motiuum misericordiæ sit semper defectus, vt docet D. Thom. hîc art. 2. Ita cùm *Elizæus staret cum Hazael, conturbatus est vsque ad suffusionem vultus: fleuitq́; vir Dei. Cui Hazael ait: Quare Dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio, quæ facturus sis filijs Israël mala. Ciuitates eorum munitas succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Et viduæ dolebant de morte Tabithę: nam, cùm *Petrus aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flẽtes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.*

4. Reg. 8

Act. 9.

III. Dicimus esse de malo inuoluntario, sicut tradit D. Thom. artic. 1. Nam est de tali malo, & defectu, qui meritò censeatur esse quædam miseria; siquidem Misericordia circa miseriam, tanquam circa obiectum, versatur. Miseria autem est aliquid inuoluntarium. Sicut contra beatitudo, cui miseria omnis opponitur, consistit in hoc, vt quis habeat ea bona, quæ vult, iuxta illud Augustini l. 13. de ciuit. c. 4. *Beatus est, qui habet, quidquid vult, & nihil mali vult.*

Nec tamen oportet, defectum illum, seu miseriam,

miseriam, quæ est motiuum misericordiæ, esse omni ratione inuoluntarium, sed sufficit, si aliqua ratione. Possumus namque misereri alicuius propter peccatum, vt docet D. Tho. art. 1. ad 1. ex sententia D. Gregorij, qui homil. 34. in Euang. dicit, veram iustitiam non habere indignationem contra peccatores, sed compassionem. Et tamen peccatum non omni ratione est inuoluntarium; sed vt habet respectum quendam, siue habitudinem ad pœnam, ea ratione potest de illo esse misericordia.

Quàm verò latè pateant ea mala inuoluntaria, quæ possunt esse motiua misericordiæ, fusè declarat Aristoteles l. 2. Rhet. c. 8. vbi docet in vniuersum esse vel naturæ, vel fortunæ mala. Naturæ mala in proposito dicit esse ea, quæ sunt naturæ corruptiua: vt *mortes*, inquit, *verbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi inopia*. In malis autem fortunæ numerat inprimis: *Si neminem quis habeat amicum, aut quàm paucissimos. Hinc enim diuelli à socijs, atque amicis, miserabile est*. Item ponit in hoc numero *turpitudinem, imbecillitatem, mancum esse: & si, vnde oportebat bonum quippiam contigisse, inde malum acciderit*.

Ita mulier Chananæa misericordiam petebat dicens: *Miserere mei, Domine fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur*. Miserebantur & discipuli pro illa intercedentes, & dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos*. Et cùm videret

Matt. 15

ret

Luc.7. ret Dominus, quòd *efferretur defunctus filius vnicus matris suæ, misericordia motus super eã, dixit illi: Noli flere.*

IV. Dicimus, Misericordiam esse de malo alieno æstimato, vt proprio. Nam vt docet D.Thom. sup.art.2. tristitia, & dolor non est propriè erga alterum, sed erga seipsum. Est autem misericordia quidam dolor, siue tristitia. Vnde defectus ille, qui est motiuum misericordiæ, non modò dicitur esse defectus personæ miserabilis, sed etiam aliquo modo personæ miserentis.

Potest autem dupliciter fieri, vt defectus personæ miserabilis sit aliquâ ratione personæ miserentis, sicut docet D.Thom. eod.art. 2. Vno modo, per vnionem solam affectus, quæ nimirum facit, vt malum alterius amicorum reputetur quoque alterius malum. Propter quod dixit Aristoteles lib.9. Ethic. c.3. *Amici officium inter cetera esse, condolere de malo amici, sicut de proprio.* Id quod similiter indicauit Apostolus, cùm iussit *flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus.* Ita cùm *audisset Abraham captum Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo, & persecutus est eos vsque Dan*, quia nimirum captiuitatem illius ob coniunctionem affectus suum malum existimabat. Altero modo potest id fieri per communicationem realem eiusdem mali actu, vel potentia; si videlicet miserans sit obnoxius eidem malo, quo afficitur

Rom.12

Gen.14.

citur persona miserabilis, aut certè possit illud incurrere. Ita David dixit ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* 2. Reg. vlt.

Neque tamen requiritur, vt vtroque modo defectus personæ miserabilis sit etiam personæ miserentis: sed sufficit, vt sit eius secundum vnionem saltem affectus. Et quidem vtroque modo defectus proximi, cùm eius miseremur, est quodammodò noster, videlicet per vnionem affectus, & per communicationem eiusdem defectus realem, saltem potentia: quandoquidem quoduis malum proximi possumus etiam ipsi incurrere. Cùm autem Deus hominis miseretur, defectus personæ miserabilis non reputatur etiam miserentis, nisi secundum vnionem affectus: idque sufficit.

Non est tamen negandum, quin quando est communicatio etiam realis actu, vel potentia eiusdem affectus, multò vehementiùs misericordia concitetur. Hinc enim Deus, vt magis, ac magis suam erga nos charitatem, & misericordiam commendaret, nostram induit naturam, vt per eam posset re ipsa quoque fieri particeps nostrorum defectuum, & eò vehementiùs nostri misereretur. Atque hæc est vis illius sententiæ Apostoli de Christo: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt mise-* Heb. 2.

ricors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & ijs, qui tentantur, auxiliari: Nimirum per quendam misericordiæ modum, qui existat quoque ex propria experientia.

Ac multum quidem concitari misericordiam ex communicatione reali defectus alieni, siue actu, siue potentia, inde manifestè patet, quòd, vt D. Thom. art. 2. illi sunt procliuiores ad miserendum, qui in statu, & conditione vitæ sunt similiores personæ miserabili: quia reputant scilicet se similiter illud malum posse incurrere: sicut eadem ratione senes, & sapientes, qui humanæ vitæ pericula perspectiora habent, solent faciliùs misereri. Contrà autem, qui putant se felices, nec vsque adeò timent vitæ incommoda, difficiliùs miserentur. Atque etiam ij, qui ob aliquam animi passionem tendentem in ardua sunt animo maiori, & elatiori, minimè aliorum (eo quidem tempore) miserentur, vt irati videlicet, de quibus idcircò D. Thom. intelligendum esse putat art. 2. quod Aristoteles ait 2. Rhet. c. 8. *Eos, qui sunt contumeliandi dispositione, siue affectu, non esse solitos misereri.* Cui sententiæ consonat illud: *Ira non habet misericordiam.* De quo genere pulchra tradit Philosophus loco citato.

Prou. 27

V. Diximus, Misericordiam esse de malo, quod reputetur aliquo modo contra personæ mise-

miſerabilis dignitatem. Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi oporteat malum miſerabile eſſe abſolutè contra dignitatem perſonæ miſerabilis, ſpectatis omnibus rei circumſtantijs: ſic enim non contingeret misereri eorum, qui iuſtè plectuntur; id quod eſt contra manifeſtam experientiam. Neque etiam id ita intelligendum eſt, quaſi oporteat, cùm quis miſeretur, cogitare, quòd miſerabile malum ſit contra dignitatem perſonæ miſerabilis ex aliqua parte, ſeu ratione conſideratæ: experientia enim docet, interdum miſericordia erga aliquem nos incitari ſolo ipſo ſpectaculo alieni mali, etiam cùm actu non cogitamus, illud eſſe vllo modo contra dignitatem hominis miſerabilis.

Satis igitur fuerit, vt & miſerabile malũ ſit cõtra dignitaté perſonæ miſerę aliqua ratione conſideratæ, vt puta præcisè ſaltem, quatenus eſt homo: (quomodo ſupplicium iuſtum poteſt etiam cenſeri contra dignitatem hominis) & vt hoc ipſum vel expreſsè, vel virtualiter cogitetur, & implicitè. Implicitè autem cogitabitur eo ipſo, quod eſt facile venire actu in mentem, neque contrarium actu cogitetur, ſcilicet ob alias rationes eſſe dignum, & iuſtum, vt perſona miſerabilis tale malum ſuſtineat. Nam dum id actu cogitatur, experientia docet non concitari miſericordiam. Hanc enim ob cauſam D. Thom. art. 2. ad 3. notat, ſuperbos non ſolere miſereri aliorum,

quia, cùm contemnant alios, putant quòd dignè patiantur, quidquid patiuntur. Vnde D. Gregor. homil. 34. in Euang. dicit: *Falsam iustitiam, id est, superborum, non habere compassionẽ, sed dedignationem.*

Ita cùm fratres vellent interficere Ioseph, Ruben dicebat: *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.* Et Iudas: *Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius?* Et Rex Darius audiens Darium reum mortis, *contristatus est, & pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum, & vsque ad occasum solis laborabat, vt erueret illum.* Cumq; iam missus esset in carcerem, *abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.*

Gen. 37.

Dan. 6.

Postremò diximus pertinere ad misericordiam, vt miserans velit, quantum in ipso est, & commodè possit subuenire malo miserabilis. Quod non ita est intelligendum, quasi oporteat eum, qui miseretur, velle explicitè subuenire malo: sed quia dolor ille de malo alieno, in quo sita est ratio misericordiæ, talis esse debet, vt per efficaciam eius, & vim, is, qui miseretur, reddatur promptus, & alacer ad subueniendum miserabili malo, si commodè possit, id est, si & facultas ad id suppetat, & id facere liceat, & deceat, omnibus cõsideratis. Si autem vel facultas deest, vel non decet, aut non licet subuenire, vt plerumque acci-

accidit, cùm iustum supplicium de aliquo sumitur, tamen censetur aliquis per hoc verè misereri, quòd per ipsum non stat, quò minùs subueniat, atque adeò ad id paratus est, quantum in ipso est, idque vi illius doloris, qui est misericordia.

Ita *Gedeon dixit ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valdè defecerunt, vt possimus persequi Sebee, & Salmana, Reges Madian.* Et cùm *interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit Abdias centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane & aqua.* Sed quid ad illos eo? Videamus Dominum Iesum, quàm fuerit misericordia plenus. Nam *videns ciuitatem, fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem sunt tibi.* Et ideo in præsenti etiam dicit Euangelio: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in viâ.* Et nullus nostrûm (proh dolor!) proximi miseretur. Quòd si tam præclaris non possimus ad misericordiam duci exemplis, duris saltem trahamur minis.

Iud. 8. | 3. Reg. 18. | Luc. 19. | Marc. 8.

Nam seruus ille, qui nolebat conseruo suo dimittere debitum, vocatus fuit à Domino suo, qui ait illi: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergò oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego misertus tui sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortori-*

Matt. 18.

bus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Qui ergò alteri misericordiam fecerit, misericordiam etiam consequetur.

DOMINICA VII.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

Gen. 6. DIxit Dominus ad Noë: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis.* Quid ita? *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est subter cœlum.*

MORALITER: Arca ista Ecclesiam fidelium significat. Sicut enim diluuij tempore nemo saluari poterat, nisi qui in Arca erat: ita hoc errorum tempore, & hæresum nemo saluari potest spiritualiter, nisi qui in Arca Ecclesiæ fidelium veræ per rectam fidem habitat.

EVANGELIVM: *Dixit Iesus discipulis* Matt. 7. *suis: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Inter alias notas, quibus discerni potest vera Ecclesia etiam est successio Episcoporũ in Ecclesia Rom. ab Apostolis deducta vsque ad nos: hinc enim dicitur Apostolica. Ac propterea omnes veteres successione hâc, tanquã argu-

argumento euidentiſsimo vſi ſunt ad veram Eccleſiam oſtendendam. Irenæus lib. 3. c. 1. enumerat Epiſcopos Rom. à Petro vſque ad Eleutherium, qui ſuo tempore ſedebat; ac dicit per hanc ſucceſsionem confundi omnes hæreticos.

Tertullianus l. de præſcript. *Edant*, inquit, *hæretici origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum, ita per ſucceßionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcop. aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert. Confingant tale aliquid hæretici.* Euſeb. in hiſt. & in Chron. & Hieron. ac Proſper, qui Chronicum Euſeb. continuarunt, diligentiſsimè annotant ſucceſsionem Rom. Epiſcoporum, vt inde continuatio Eccleſiæ manifeſta ſit.

Epiphan. hæreſ. 27. quæ eſt Carpocratis, enumerat ordine Pontifices Rom. & ſubiungit. *Et ne quis miretur, quòd tam exactè ſingula recenſemus. Per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.*

Optatus Miluetanus lib. 2. contra Parmenian. omnes enumerat Pont. Rom. à Petro vſque ad Siricium, qui tunc ſedebat, vt oſtendat non eſſe Eccleſiam apud Donatiſtas, qui per ſimilem ſucceſsionem ad Apoſtolos aſcēdere non poterant; & ſubdit: *Vos*, inquit, *veſtræ cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctā Eccleſiam vendicare.*

Denique August. in epist. 165. ad Generosum, ad eundem finem enumerat Pontif. Rom. à Petro vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat. Et in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *sacerdotes vel ab ipsa sede Petri: & in ordine illo Patrum quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et lib. contra epist. fundam. c. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.*

Si ergò veteres tanti fecerunt ad veram Ecclesiam ostẽdendam continuationẽ XII. vel XX. aut XL. Pontificum, quanti nos facere debemus continuationem non interruptam Pontif. CC. & ampliùs? præsertim cùm videamus defecisse alias Apostolicas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymit. in quibus; posteaquam à Persis, vel Saracenis ea loca Rom. adempta sunt, quod accidit ante annos D. CCCC. aut nulla, aut obscurissima successio fuit. Et in ipsa Vrbe Roma toties mutatam esse formam temporalis dominij, nunc Imperatoribus, nunc Regibus Gothorum, nunc Exarchis Græcorũ, nunc etiam Coss. siue iustè, siue etiam iniustè dominantibus: & ipsam Vrbem aliquoties euersam; & tamen sedem Petri nunquam defecisse, neque euersam fuisse, sed immobilem semper permansisse.

Sed

Sed aliqua ad vim huius argumenti intelligendam sunt notanda.

I. Est, non posse vllo modo Ecclesiam esse sine Pastoribus, & Episcopis, vt rectè docet Cyprian. l.4.epist.9. vbi dicit Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatam; & Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo. Quare Hieronym. lib. contra Luciferianos: *Ecclesia*, inquit, *non est, quæ non habent Sacerdotes.* Id quod apertè prob. ex Paulo: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes*, &c. Vbi docet Apostolus, futuros pastores in Ecclesia vsque ad diē iudicij: Tunc enim *occurremus* Domino *in vnitatem fidei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Esse autem Episcopos Pastores huius gregis, docet idem Apostolus: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed nec Lutherus id negat: quin potiùs in l.de Eccles. & Conc. inter notas Ecclesiæ ponit, habere veros pastores. Ex quo sequitur, eam non esse veram Ecclesiam, quæ aut nullos, aut non veros habet pastores.

Ephes.4

Act.20

II. Est, illos solùm in Ecclesia habitos fuisse veros Episcopos, qui ab Apostolis per legitimam successionem, & ordinationem descendisse ostendebantur: omnes autem alios fures, & latrones; quippe qui non per ostium intras-

Ioan.10.

intrassent, sed ascendissent aliundè. Nam constat Christum, à quo Ecclesia noui Testamenti cœpit, duodecim Apostolos tantùm elegisse Episcopos, & Sacerdotes, & eis commisisse omnem auctoritatem pascendi, & gubernandi Ecclesiam: Apostolos autem postea elegisse, atque ordinasse alios Episcopos, & eis tradidisse similem potestatem alios deinceps ordinandi. Id quod ex historijs non solùm Euseb. & similium, sed etiam ex ipsis Magdeburgensium Centurijs apertè ostenditur. Et hinc est, quòd Paulus, quem extra ordinem Apostolus à Christo post Ascensionem in cœlum factus est, non fuisset agnitus in Ecclesia pro tali, nisi priùs in ipsa Ecclesia baptizatus fuisset, & ab Apostolis dexteras accepissit; imò & ab illis ordinatus fuisset.

Act. 9. 13. *Gal.* 1.

Itaque sicut in populo Testamenti veteris, qui per carnalem generationem propagabatur, nulli erant de populo illo Dei, nisi qui descendebant à duodecim filijs Iacob; nulli Sacerdotes, nisi qui descendebant à Leui per Aaron; & idcircò tunc diligentissimè conseruabantur genealogiæ; vt patet ex veteri Testamento: ita in populo Testamenti noui, qui generatione spirituali multiplicatur, nulli sunt Christiani, nisi per Apostolos, vel eorum successores, aut ab eis missos conuersi; nulli Episcopi, nisi qui eisdem legitimè succedunt: & ideò tam diligenter annotantur à nostris Episc. successiones.

Nota

Nota III. duo requiri, vt aliquis Episcop. dicatur ab Apostolis legitimè descendere, & proinde esse legitimus Episcopus. Vnum est succesſio: Alterum Ordinatio.

Quantum ad succesſionem, id requiritur, vt is, qui verus Episcop. haberi cupit, succedat alicui Apostolo; quomodo Clemens succesſit Petro, & Polycarpus Ioanni: vel certè, vt succedat alicui, quem aliquis Apostolus fecerit Episcop. quomodo Ignatius succesſit Euodio, Auianus Marco, quos Petrus fecerat Episc. vel demum, si Episcopatus est nouus, vt fiat Episcop. ab eo, qui habet Apostolicam auctoritatem, qui est solus Roman. Pontifex. Nam, vt S. Augustin. scribit epistol. 162. in Romana Ecclesia semper viguit Apostolicę cathedræ principatus.

Ratio huius est, quia institutio nouorum Episcoporum non potest pertinere ad vllum, qui habeat definitam regionem; quales sunt Episcopi particulares: sed ad eum, qui toti Ecclesiæ præest, & cui propriè cura incumbit Ecclesiam propagandi; quales fuerunt omnes Apostoli; Petrus quidem ex officio; ceteri ex delegatione. Et quicunque aliter intrat, non est de Ecclesia Apostolica, cùm non posſit originem suam ab Apostolis ostendere. Nec tamen ob id negamus, quin etiam Patriarchæ, & Metrapolitani aliquando posſint nouos Episcopatus erigere: quod S. Athanasium in Oriente, & S. Bonifacium in Germania fecisse

fecisse constat, modò à sede Apostolica facultatem habuerint.

Quantum ad ordinationem autem, requiritur, vt, qui fit Episcopus, ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi sint ab alijs ordinati, & illi ab alijs, donec ad Apostolos veniatur. Id clarè habetur can. 1. Apostolorum, vbi præcipitur, vt Episcop. ordinetur à duobus, vel tribus Episcopis, id est, à duobus assistentibus Metrapolitano, vel à pluribus. Item Anacletus epistol. 2. docet, Iacobum ordinatum fuisse Episcopum Ierosolymæ à Petro, Iacobo, & Ioanne; & eodem modo à tribus, vt minimum, omnes alios ordinari debere. Idem habetur in Concil. Nicæno 1. c. 4. & in Carthag. IV. c. 2. Imò Apostolus hoc ipsum indicat, cùm scribit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij.* Siquidem nomine Presbyterij intelligit cœtum Episcop. qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi, vt exponunt Chrysostom. Theophil. OEcumenius. Neque mirum est Episcoporum cœtum vocari Presbyterium: nomen enim Presbyteri commune erat olim Presbyteris, & Episcopis, vt patet ex epist. Iren. ad Victorem, quæ est apud Euseb. l. 5. hist. c. 24. vbi Irenæus vocat Presbyteros Romanos Pontifices, Victorem, Anicetum, Pium, Telesphorum, & Xixtum. Itaque dubium esse non potest, quin requirantur ordinariè tres,

1. Tim. 4

vt

vt minimum, Episcopi ad noui Episcopi ordinationem, nisi fortè ex dispensatione cum vno Episcopo ordinante adsint Abbates infulati, qui Episcoporum vicem gerant, vt aliquando fieri solet ob Episcoporum raritatem.

Nota IV. Antiquos hæreticos consueuisse, vt plurimum Ecclesiam imitari in ordinatione Episcoporum, vt patet ex Cyprian. l.1. epistol. 3. & Augustin epistol. 165. & ideò S. Patres non reprehendisse in eis, nisi defectum successionis: & ex eo solum probasse, eos non esse veros Episcopos, quippe qui ad Ecclesiam veram non pertinerent, cùm ab Apostolis per successionem non ducerent originem.

Nostri autem temporis hæretici neutrum habent, id est, nec ordinationem, nec successionem, & propterea non longè inuerecundiùs, quàm vlli vnquam alij hæretici, sibi nomen, & munus Episcopi vsurpant. Ex quo argumentum insolubile sumitur hoc modo: Ecclesia non potest esse sine Episcopis, vt ostendimus: Apud Lutheranos non sunt Episcopi: nam non habent ordinationem, nec successionem ab Apostolis. Igitur apud eos non est Ecclesia.

Et quidem, quòd nec Lutherus, qui habitus est Episc. VVittembergensis; nec Zwinglius, qui habitus est Episcop. Tigurinus; nec OEcolampadius, qui in ipso sepulcri Epita-

phio

phio vocatur primus Basileę Episcopus; nec Caluinus, qui dictus est Episc. Geneuensis; nec vlli alij ordinati sint à tribus Episcopis, neque ex dispensatione ab vno assistentibus Abbatibus, notissimum est, nec ipsi negant; Ergò saltem Patribus Niceni, & Carthaginensis Concilij, imò & ipsis Apostolis, qui statuerunt, Episcopum à tribus Episc. debere ordinari, isti non sunt Episcopi; eisque conuenit, quod Cyprian. l. de simplicitate Prælatorum ait: *Ij sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuinâ dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vllâ ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

Respondet Brentius: Nos legitimè vocati sumus à populo, & magistratu, & ab eis Episcopatum accepimus, & non nos intrusimus. At contrà: nam hîc non disputamus de electione Episcopi, quam scimus variè varijs temporibus celebratam. Constat enim, Apostolos & veteres Rom. Pont. misisse Episcopos ad varias ciuitates, sine vllo consensu populorum requisito. Constat etiam, aliquando populum simul cum clero, aliquando solum clerum Episcopum elegisse.

Ceterùm quomodocunque fieret electio, semper fuit necessaria ordinatio, quam non populus, sed soli Episcopi, & quidem tres; vt minimùm, regulariter conferebant: quod nemo nescit, nisi qui non legit. Dicat ergò Luthe-

Lutherus, à quibus Episcopis ordinatus fuerit Antistes VVittembergensis. Dicant etiam ceteri, à quibus ordinati fuerint. Sed nec dicunt, nec dicere possunt.

Deinde, quòd non successerint in Episcopatu antiquis Episcopis, certum est: tum, quia in omnibus vrbibus, vbi isti se fecerunt Episcopos, erant anteà, & sunt etiam modo in plerisque locis Episcopi Catholici, qui legitimè successerunt antiquis. Non autem succeditur, nisi Episcopis defunctis, aut legitimè depositis: tum etiam, quia ipsi fatentur, se primos esse earum vrbium Episcopos.

Certè Basileæ extat adhuc Epitaphium ad sepulcrũ OEcolampadij, vbi dicitur OEcolampadius primus illius vrbis Episcopus. De istis ergò dici potest, quod ait Cyprianus lib. 1. epistol. 9. ad Magnum: *Nouatianus*, inquit, *in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est*. Et infrà: *Aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, & in Ecclesia Dei, ordinatione succedaneâ, præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens alienus fit, & prophanus?* Et c. 4. epistol. 2. ad Antonianum: *Cornelius*, inquit, *Episcopus factus est, cum Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus catedræ sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat, necesse est.*

MO-

MORALE. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.*

Bona arbor est bonus homo: bonus fructus bona vita.

Fructus autem bonitas prob. vtilitate, multiplicitate, delectabilitate, & durabilitate. Vtilitas in retributione, multiplicitas in operatione, delectabilitas in deuotione, durabilitas in consummatione, & perseuerantia additur.

Ioan. 4. De vtilitate: *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.*

Ecce vtilitas fructuum spiritualium est vita æterna. Congregant autem quidam fructum in mortem æternam. *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, & succendam ignem in saltu.* Item congregant quidam in vitam transitoriam, qui hîc recipiunt mercedem, qui tantùm causa timoris seruilis, vel amore laudis, vel rei temporalis; vel in statu peccati mortalis bona opera faciunt. De quibus: *Sapientiam, & disciplinam qui abijcit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores siue fructu, & inutilia opera eorum*, scilicet ad vitam æternam. Item aliqui congregant fructus in vitam non transitoriam, sed æternam, qui secundum opera meritoria faciunt: sicut animæ sanctæ. *Felix sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarũ sanctarum.*

Ier. 21.

Sap. 3.

Ibid.

De

De multiplicitate: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis.* Parum curares arborem, quę non afferret, nisi duo, vel tria poma; similiter & arborem non ferentem, nisi duo, vel tria grana: sic & tu, si non vis contemni à Deo, non debes paucos, sed multos fructus proferre. *In omni opere bono fructificantes.* In omni itaque bono opere, & etiam omni membro fructificandum est. Arbor enim multos fructus habere non potest, nisi in multis ramis: Multi fructus sunt multa bona opera: multi verò rami sunt multa corporis membra. Certè Maria Magdalena multos fructus in multis ramis habuit, quando multa opera bona in multis membris exhibuit. Pedibus enim accessit ad domum Pharisæi, oculis fleuit, crinibus tersit, ore osculum dedit, manu vnxit, corde dilexit. Augustinus: Lachrymis irrigat, tergit crinibus, vngit vnguento, quid miraris? *Terra dedit fructum suum.* Fructus autem non multiplicatur, nisi terra cordis, & voluntatis fuerit valdè bona. *Aliud verò cecidit in terram bonam.*

Ioan. 15
Coloss. 1.
Luc. 7.
Psal. 66.
Mat. 13

De delectabilitate arbor fici: *Nunquid possum dulcedinem meam deserere, fructusq́ suauissimos, vt inter cetera ligna promouear?* Ita spiritualis homo dulces fructus bonæ vitæ non libenter deserit inter ligna siluarum, id est, inter malos, & infructuosos, quin in operibus promouentur bonis. Bernardus: Gustato spiritu decipit omnis caro; affectanti cęlestia terrena

Iud. 9.

 non

non sapiunt: æternis inhianti fastidio sunt transitoria. Considerandum autem est, quòd fructus delectabilitas spectatur in colore, odore, & sapore. Sed & fructus bonæ vitæ delectabilitas est ex colore pulchræ conuersationis: *Quasi rosæ plantatæ super riuos aquarum fructificatæ.* Aquarum, id est, lachrymarum, vel aduersitatum. Rosæ sunt Martyres, quorum pulchritudinem in amore, & sanctitate imitari debemus. Item ex odore bonę opinionis. *Flores* Martyrum, id est, virtutes, *fructus odoris, & honestatis*, per effectum. Item ex sapore mellifluæ deuotionis: *Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Sicut apis colligit fructum de floribus diuersarum arborum: sic & nos considerando, & imitando virtutes diuersorum Sanctorum. Sed quidā non quærunt flores, sed stercora hîc hominū infirmorum ad trahendum.

Eccli. 39
Eccli. 24
Eccli 11

De durabilitate: *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Manere est esse durabile, vt non citò putrescat per vitium, vel pereat, sicut fructus Ægypti. Psalmus: *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustis, & occidit in grandine vineas eorum.* In ærugine luxuria, in locusta superbia, in grandine auaritia intelligitur. Si ergò fructum tuum vis manere, debes Ægyptum, id est, mundum fugere. Ioannes Chrysostomus: Sicut difficile est, arborem iuxta viam positā fructum suum vsque ad maturitatē seruare:

Ioan. 15.
Psal. 77.

sic

ſic difficile eſt, virum fidelem iuxta mundum viuentem in actibus ſuis iuſtitiam immaculatam vſque ad finem tenere.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

Isaac diſcedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretq; ibi, rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſerui Patris ſui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obſtruxerunt Philiſtijm: foderuntq; in torrente, & repererunt aquam viuam. Gen. 26.

MORALITER: Puteos in hoc mudo fodiunt, qui terram diuitiarum per eleemoſynam eijciunt: ſed Philiſtijm illos obſtruũt, qui per auaritiam theſauros inutiles abſcondunt. Torrens autem præterlabentem mundi voluptatem ſignificat, in quo puteum fodiũt, qui ſuperflua & ad voluptatem magis, quàm neceſsitatem pertinentia pauperibus diſtribuunt: qui tandem aquam viuam inueniunt, quando pro terrenis gratiam Dei, & augmẽtum gloriæ accipiunt. Ita dicitur in Euangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16.

EVANGELIVM: *Dixit Ieſus diſcipulis* ibid.

ſuis

ſuis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſsipaſſet bona ipſius.

THEMA: *Facite vobis amicos*, &c.

Occaſione huius ſententię videndum erit, quæ ſit præſtantia, & vtilitas eleemoſynæ. Sciendum autem eſt eleemoſynam quaſdam habere præſtantias, & vtilitates communes illi, & alijs actibus virtutum: & quaſdam ei proprias. Prioris generis vtilitates ſunt tres.

I. Eſt, quòd habeat rectitudinem, & laudem virtutis cuiuſdam, id eſt miſericordiæ. Ideò *ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.* Eccli. 31

II. Eſt, quòd habeat vim merendi, ſi ex charitate fiat. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Tob. 4.

III. Eſt, quòd habeat etiam vim ſatisfaciendi pro pęna peccato debita poſt remiſſam culpam, vt in materia de Sacram. Pœnitentiæ traditur: vbi tria potiſsimùm opera ſatisfactoria numerari ſolent à Theologis: ſcilicet Oratio, Ieiunium, & Eleemoſyna. Ex quibus Eleemoſynam præcipuam habere vim, affirmat. D. Thom. in 4. diſtinct. 15. qu. 2. artic. 2. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Et: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Dan. 4. Luc. 11.

Atque in his ipſis perfectionibus, & vtilitatibus, quas eleemoſyna communes habet cum alijs virtutum actibus, eò magis pręeminet,

net, quò virtus misericordiæ est præstantior alijs virtutibus moralibus. Ac inter ipsas rursus eleemosynas, quò alijs aliæ præstantiores sunt, eò aliæ alijs in prædictis perfectionibus antecellunt.

Etenim à toto genere eleemosynæ spirituales sunt præstantiores, quàm corporales ceteris paribus, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 3.

I. Quoniam beneficium spirituale, quod per eleemosynam spiritualem impenditur, præstantius est, quàm corporale.

II. Quia spiritus, cui subuenitur per spiritualem eleemosynam, antecellit corpori, cui subuenitur per corporalem eleemosynam.

III. Quia etiam ipse actus spiritualis eleemosynæ (vt cùm quis docet) est perfectior natura sua, quàm actus eleemosynæ corporalis.

Posterioris autem generis vtilitates, & perfectiones Eleemosynæ, scilicet ipsius propriæ, sunt potissimum duæ, quas tum Script. tum Patres tribuunt Eleemosynæ; & frequẽtius ferè corporali.

I. Est, quod per eam consequatur quis remissionem peccatorum. *Eleemosyna est, quæ purgat peccata.* Et: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* *Tob. 12.* *Eccli. 3.*

II. Est, quòd illius beneficio conseruetur gratia diuina, & præseruetur quis à malo, & morte spirituali. *Eleemosyna ab omni peccato, &* *Tob. 4.*

& à morte liberat, & non patietur animam ire in Eccli. 17 *tenebras.* Et: *Eleemosyna viri gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit.*

Patres etiam has vtilitates tribuunt eleemosynæ. D. Ambros. sermon. 30. qui est de eleemosyna, perpendens illud testimonium Luc. 11. Christi: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quamuis ergò,* inquit, *pollutus quamuis multis criminibus circumseptus, si eleemosynam feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna, quod auaritia polluebat, & maculas, quas res alienas diripiendo contraxeris, tuas erogando purificas.* Et addit: *Vide ergo, quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna, & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.* Similia, aut etiam maiora dicit sermon. 31. qui est de eleemosyna, & muliere Samaritana. D. Gregor. Nissenus in orat. de pauperibus amandis, loquens de beneficentia erga illos: *Hæc,* inquit, *continet vitam.* Et infrà: *Hæc omnium actionum est præstantissima.*

D. Chrys. hom. 33. ad pop. Antioch. *Eleemosyna,* inquit, *ex mortis manibus eripit, & lampades nostras nō sinit extingui. Nec sordidis indutos vestibus in nuptijs videri, sed lauat, & niue mundiores reddit; si namq; fuerint peccata vestra vt coccinum, velut nix dealbabuntur. Nec sinit nos eò decidere, vbi diues ille, nec audire verba tremenda, sed in Abraha sinum deducit.* Et infrà: *Hæc,* inquit, *Christi adstat tribunali, nō tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens iudici, ut reo patrocinium*

præstet,

præstet, & pro eo sententiam ferat, & licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat. Ait enim: Date eleemosynam, & omnia erunt munda. Similia leguntur apud alios.

Sed cùm varijs modis possit intelligi, gratiam remissionis peccatorum, & perseuerantiam in illa, ac præseruationem à morte æterna esse effectum eleemosynæ, videndum est, quonã modo oporteat id intelligere. Posset enim quatuor modis intelligi.

I. Ita, vt quemadmodum Sacram. Baptismi siue pœnitentiæ ex institutione diuina, ac proinde ex opere operato, vt Theologi loquuntur, habet vim dimittendi peccata, & conferendi gratiam ei, qui non habet obicem per effectum ad aliquod peccatum mortale: ita eleemosyna etiã ex opere operato habeat effectus illos spirituales.

II. Vt habeat eam vim, tanquam dispositio saltem, quæ ex certa Dei lege conciliet homini certò, & infallibiliter illos spirituales effectus; ad eum modum, quo spiritualis dilectio Dei super omnia, vel contritio perfecta, tanquam dispositiones quædam, conciliant homini gratiam, & remissionem peccatorum, ex certa lege misericordiæ diuinæ, iuxta illud: *In quacunque hora ingemuerit peccator, amplius peccatorum eius non recordabor.* Et illud: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum.* (Ezec. 18; Ioan. 14)

III. Vt eatenus solùm dicatur eleemosyna habere spirituales illos effectus, quatenus impetrat

petrat à Deo, cùm rectè fit, quædam auxilia, seu incitamenta gratiæ diuinæ actualis, quibus plerumque soleant homines efficaciter moueri ad resurgendum à peccato, vel in bono perseuerandum; & quæ idcircò, quantum in ipsis est, liberent hominem à peccatis, & in gratia conseruent, nisi quis nimis pręfractè resistat eiusmodi auxilijs, ac incitamentis, illaque negligat.

IV. Modo ita, vt illi effectus tribuantur eleemosynæ non per se, sed per accidens, si nimirum procedat ex actu supernaturali dilectionis erga Deum, & proximum, cui scilicet propter Deum datur eleemosyna.

Determinandum autem est, quo nam modo ex his quatuor debeat hæc res intelligi. Et quidem D. August. in Enchirid. c. 75. & seqq. insinuat, ac lib. 25. de ciuit. Dei, c. 22. & 27. expressè refert, fuisse suo tempore, qui per solas eleemosynas certam sibi remissionẽ peccatorum, & impunitatem post hanc vitam pollicerentur, quantumuis flagitiosè alioqui viuerent. Qui proinde vel primo, vel secundo modo effectus eiusmodi spirituales tribuisse videntur eleemosynis. Sed hæc sententia manifestè est hæretica. Itaque asserimus nec primo, nec secundo modo ex illis quatuor, sed tantùm tertio, & quarto eleemosynam habere supradictos illos effectus spirituales, vt cõmuniter Theologi sentiunt in 4. d. 15. Et peculiariter D. Thom. ibi q. 2, art, 2, & sup. ar. 4.

vbi

vbi quarto modo id interpretatur.

Et quidem quòd non habeat eleemoſyna eam vim primo modo, ſcilicet ex opere operato, patet. Nam, quòd aliqua res habeat vim talem, oportet conſtare ex iudicio Eccleſiæ Script. interpretantis, cùm expreſsè quidem nihil de eo Script. pronunciet, ne de Sacram. quidem. Id autem minimè tradit Eccleſia de eleemoſyna, ſed de Sacramentis ſeptem; & vt ſummum permittit aliquid ſimile opinari de martyrio, quia eſt tanquam Baptiſmus quidã ſanguinis; tametſi de eo, vtrum ſcilicet martyrium conciliet gratiam ex opere operato, adhuc ſub iudice lis eſt.

Quòd autem neque habeat illos effectus eleemoſyna ſecundo modo, ſcilicet tanquam diſpoſitio animi certò cum illis connexa, prob. 1. ex Script. Nam tunc ſecluſis alijs pijs actibus internis, quicunque faceret eleemoſynam, aſſequeretur illos effectus: ſicut quicunque habet actum legitimum charitatis, vel pœnitentiæ, aſſequitur certò gratiam. At id manifeſtè eſt contra Script. Nam inprimis oſtendit Chriſtus, Phariſæos fuiſſe extra Dei gratiam, quamuis decimam partem fructuũ ſuorum in eleemoſynam erogarent, cùm ait: *Væ vobis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Sic enim D. Auguſtin. hunc locum interpretatur in Enchrid. cap. 76.

Luc. 18.

Luc. 13. Deinde: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul* 1. Cor. 13 *peribitis.* Et: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quod sanè est clarissimũ testimonium aduersus eum errorem quem 1. Ioan. 3 modò impugnamus. Item: *Qui non diligit, manet in morte.* Quanquam non est negandum, quin ad gratiam quidem consequendam sufficiat habere vel expressam pœnitentiam, in qua virtualiter contineatur hæc dilectio charitatis, vel expressam dilectionem charitatis, in qua virtualiter contineatur pœnitentia.

Prob. 2. ex Patribus. Nam D. Cyprianus in sermon. de lapsis, sub finem, affirmat eleemosynis redimi peccata, & ad id hortatur lapsos: requirit tamen pœnitentiam, tanquã necessariam.

D. Ambros. in l. ad Virginem lapsam, c. 8. affirmat pœnitentiam esse vnicum, & solum remedium post Baptismum ad obtinendam remissionem peccatorum.

Idem D. Chrysostom. homil. 31. in 1. epist. ad Cor.

D. August. in Enchrid. c. 75. & 67. & l. 2. de ciuit. c. 27.

D. Gregor. l. 19. moral. c. 20. Et in Pastorali p. 3. c. 21.

Prob. 3. ratione. Nullus actus, cum quo possit consistere effectus aliquis ad peccatum mortale, est per se certa dispositio ad gratiam. Sed actus eleemosynæ est talis, vt cum eo possit

poſsit conſiſtere affectus ad peccatum mortale. Ergò actus eleemoſynæ non eſt per ſe certa diſpoſitio ad gratiam.

Maior prob. dupliciter.

I. Quia oportet in actu, qui ſit certa diſpoſitio ad gratiam, contineri auerſionem perfectam à peccato mortali, & conuerſionem ad Deum, vt in materiâ de gratiâ docetur. Et patet ex Pſalm. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuũ tetendit, & parauit illum*, &c. Et: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* In actu autem, cùm quo affectus ad peccatũ mortale poſsit conſiſtere, nequaquam continetur perfecta auerſio à peccato mortali, & ad Deum conuerſio.

Pſal 7.

Zach. 1.

II. Quia, ſi cum aliquo actu poteſt conſiſtere affectus ad peccatum mortale. Ergò poteſt accidere, vt, qui illum exercet, non obtineat gratiam, tanquã rectè ad eam diſpoſitus, ſi videlicet ſimul habeat effectum illum ad peccatum mortale; & ſic talis actus non erit per ſe certa, & infallibilis diſpoſitio ad gratiam: vel ſi nihilominùs certa, & infallibilis diſpoſitio ad gratiam eſſe dicatur, poterit contingere, vt ſimul quis habeat gratiam, & affectum ad peccatum mortale; ac proinde, vt ſimul ſit impius per eiuſmodi affectum, & ametur à Deo per gratiam: quod eſt contra illud: *Odio eſt Deo impius, & impietas eius.*

Sap. 14.

Atque hinc patet, cur contrà, certa, & infallibilis diſpoſitio ad gratiam ſit tum actus cha-

charitatis, tum actus pœnitentiæ. Nam & actus charitatis, cùm sit dilectio Dei super omnia, continet perfectam conuersionem ad Deum, atque adeò etiam auersionem (saltem implicitam) à peccato mortali. Et actus pœnitentiæ, cùm sit dolor super omnia de peccato, vt de offensa Dei, cõtinet perfectam auersionem à peccato, atque adeò conuersionem ad Deum saltem implicitam.

Rursus hinc patet, satis esse ad acquirẽdam gratiam iustificationis habere explicitè alterutrum actum ex his duobus, vel pęnitentiæ, vel charitatis, in quo alter implicitè contineatur.

Prob. Minor tripliciter.

I. Quoniam id clarè indicat Apostolus: *Si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam, charitatem autem non habuero*, &c. 1. Cor. 13

II. Quia actus eleemosynæ ex sua ratione non continet illam auersionem à peccato, & conuersionem ad Deum.

III. Quia idipsum plus satis comprobat experientia multorum, qui dicente Gregorio: sua dant pauperi, & se diabolo per peccata.

Pro finali conclusione adde thema initio propositum, & exemplum de auaro pecuniã colligente in lagena, quam pauperibus dare cõsueuerat, qui putrescente crure corripitur. Habetur in speculo exemplorũ tom. 1. f. 112. ex libris doctrinæ PP. ex l. de paupertate, num. 4.

DO-

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

CVM Iacob in somnis vidisset scalam cęlum tangentem, & DOMINUM audiuisset loquentem, *Euigilans de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensq́ue, Quàm terribilis est, inquit, locus iste? Non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28.

MORALITER: Iacob hoc loco Christianum quemlibet significat; qui quasi dormit in itinere, quando mysteria legis gratiæ non aduertit; quando sacramenta Ecclesiæ negligit, & dormitanter in templis agit. Sed si per veram eorum cognitionem, & fidem euigilet, profectò inueniet, quod pertimescet. Quis enim non paueat, quando Angelos in locis sacris præsentes cogitat? quando Christum Dominum sub specie panis, & vini coram se videt? Meritò ipse *ingressus templum cœpit eijcere ementes, & vendentes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est.* Luc. 19

EVANGELIVM: *Cùm appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Ibid.

THE-

THEMA: *Cœpit eijcere vendentes, & ementes.*

Occaſione huius ſententiæ de Simonia, quid illa ſit, breuiter tractandum erit.

Notandum eſt Simoniæ peccatum à Simone Mago nomen accepiſſe: idque ob tres cauſas.

I. Quia ille primus tempore noui Teſtamenti legitur hoc crimine infectus fuiſſe. Nam *cùm vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus obtulit eis pecuniam, dicens:* Date *& mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.*

Act. 8.

II. Quòd grauiſsimè inter omnes antiquos hoc genere peccauerit: voluit enim emere pecunia donum illud, & poteſtatem admirabilem viſibiliter conferendi Spiritum ſanctum idque eò fine, vt Spiritum ſanctum poſteà venderet, vt docet Auguſtin. tract. 10. in Ioannem: *Volebat*, inquit, *emere Spiritum ſanctum, quia vendere volebat Spiritum ſanctum,* & colligi poteſt ex Act. Priores autem ſolùm rem ſpiritalem creatam vendiderunt; vt Balaam ſuam Prophetiam. Nam *pergebant ſeniores Moab, & maiores natu Madian,* vt vocarent Balaam, *habentes diuinationis pretium in manibus.* Et iterum, cùm venire noluiſſet, dixit Balac, filius Sephor: *Ne cuncteris venire ad me: paratus ſum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo iſti.* Poſtquam autem

Num. 22

tem venisset, *cùm occidisset Balac boues, & oues, misit ad Balaam, & Principes, qui cum eo erant, munera.*

Item Giezi minister Elizæi sanitatem diuinitus cõcessam. Dicebat enim ad Naaman: *Dominus misit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.*

4. Reg. 5.

III. Quia Simon videtur etiam pertinaciter sensisse, hoc ipsum esse licitum, ac proinde fuisse hæreticus in hac re. Quod insinuat D. Ambros. l. 2. de pœnitentia, c. 4. & habetur 1. q. 1. can. Petrus. Nam *Petrus dixit ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Act. 8.

Videtur autem hoc vitium maximè cœpisse vocari nomine Simoniæ tempore Gregorij I. qui etiam vocat illud hæresim simoniacam: nempe quia est exterior quædam professio hæresis, seu prauæ opinionis; (sicut deturbatio imaginum, & conculcatio, est professio internæ hæresis) præsertim si publicè, & sine pudore fiat: sicut fiebat in Gallijs tempore Gregorij, vbi palàm pro collatione Ordinum exigebatur pecunia, vt constat ex registro epist. 110. 113. & 114. Priores tamen Patres vocant illud passim vitium Simonis, vt Chrysost. Ambros. & Nazianzenus. Vide plura testimonia 1. q. 1.

Notandum 2. Simoniam esse vitium contra

tra virtutem religionis, consistens in rerum sacrarum indigna tractatione, non quâlibet, (varijs enim modis possunt indignè tractari) sed quâ res sacræ tanquam prophanæ æstimâtur, & in contractus deducuntur: hæc enim est magna in Deum, à quo sanctitatem habent, irreuerentia, quæ vocatur Simonia. Quæ definitur: *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spiritali annexum.* Sic gloss. in c. Qui studet, 1. qu. 1. passim à Doct. recepta. Solum additur à Doct. *Pretio temporali*, maioris explicationis causa. Habet autem definitio quatuor partes.

I. Est, *Studiosa voluntas*, id est, deliberata; vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpatâ. Loquimur enim de peccato simoniæ in sua specie perfecto. Ita Simonia fuisset in Iacob, (nisi instinctus accessisset diuinus, per quem *Iacob dilectus fuit, Esau autem odio habitus*) quando petebat ab eo Esau: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum.* Cui Iacob: *Vende mihi primogenita tua. Et iurauit ei Esau, & vendidit primogenita.*

Rom. 9.

Gen. 25.

II. *Emendi, aut vendendi*: quibus verbis significatur omnis omninò contractus nō gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio. Ita non erat Simoniacus Achimelech sacerdos, qui petendi Dauid gratis dedit sanctificatum panem.

1. Reg. 21.

III. Est,

III. Est, *Pretio temporali*: si enim detur spiritale pro spiritali, non erit propriè Simonia. Turpitudo enim huius peccati cõsistit in eo, quòd spiritalia æstimentur pretio humano, vel re aliquâ humanâ, quæ pretio sit æstimabilis.

Solet autem à Doct. triplex pretium distingui, ex c. Saluator, 1. qu. 3.

I. Est pretium muneris, vt pecunia, equus, bos, &c. Ita cùm *cresceret quotidiè fames in omni terra, aperuit Ioseph vniuersa horrea, & vendebat AEgyptijs. Omnésque prouinciæ veniebant in AEgyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Gen. 41.

II. Est pretium linguæ, vt laus, vituperatio, patrocinium apud Principem. Hoc enim officium est pretio æstimabile. Ita, cùm Abia, filius Ieroboam ægrotaret, dixit ille vxori suæ: *Tolle in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad Ahiam Prophetam: ipse enim indicabit tibi, quid euenturum sit puero huic.* 3. Reg. 14.

III. Est pretium obsequij, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, vt famuli, œconomi. Ita fratres Ioseph *prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes Ioseph de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in AEgyptum. Madianitæ vendiderunt Ioseph in AEgypto Putiphari, Eunucho Pharaonis, magistro militum.* Gen. 37.

IV. Est, *Aliquid spiritale, vel spiritali annexum*: quia res merè temporalis non est materia si-

moniæ; illius enim commutatio non est contra reuerentiam rebus sacris debitam. Ita, cùm Saul quæreret Samuelem, dixit ad puerum suum: *Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in cistertijs nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* Quod si ob solum illud pretium Samuel prophetasset, & in contractum illud deduxisset, profectò periculum Simoniæ incurrisset.

1. Reg. 9

Hinc patet, malitiam huius vitij in eo consistere, quòd iniuria quædam, & irreuerentia fiat rebus sacris, atque adeò ipsi Deo, dum tanquam res temporales pretio æstimantur, & contractibus subijciuntur. Ita tempore Heli, *antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam. Dicebátque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi, quantumcunque desiderat anima tua.*

1. Reg. 2

Spiritale hîc vocatur non omne, aut solum incorporeum; sed quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue morale tantùm, siue in modum actus, siue in modum habitus. Talia sunt virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, gratiæ gratis datæ, sacramenta, cõsecrationes, benedictionesq́; Ecclesiæ, & omnis vsus potestatis supernaturalis.

Spi-

Spiritali autem annexum est, quod cum aliquo spiritali connexionem habet. Quod tripliciter fieri potest: Antecedendo, Consequendo, Comitando. Antecedendo, vt ius patronatus, quia pręsentationi beneficiorum. Item secundum quosdam, vestes, & sacra vasa, templa, altaria; quia referuntur ad sacrificium Missæ. Consequendo, vt beneficia Ecclesiastica, quia supponũt officium diuinum. Comitando, vt labor in ministerio sacramentorum.

Porrò sola supernaturalia censentur esse materia simoniæ: quia, cùm hæc natura sua sint talia, vt industria humana non posint comparari, sed solùm diuino munere gratis concedi, magna irreuerentia est, si pretio, sicut aliæ res humanæ, æstimentur. Quod locum non habet in ijs, quæ naturaliter possunt haberi, etiamsi per accidens alicui supernaturaliter infusa sint, vel post amisionem restituta: vt si alicui oculi amisi sint diuinitus restituti; vel sit infusa alicui ars mechanica. Ita *Dominus locutus est ad Moysen dicens: Ecce, vocaui ex nomine Beseleel, filium Vri, filij Hur, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* Exod. 31

Ex his sequitur 1. non esse simoniam, vendere doctrinam, vel notitiam cuiusuis verita-

tis naturali industria comparabilis, vt rectè docet Sotus l.9.q.5.artic.1. Victoria de simonia, relect.1. num.5. & Adrianus quodlib. 9. art.11. vbi id fusè probat, & citat Durandum, Richardum, & Paludanum. Est contra quosdam, qui dicunt scientiam vendi non posse, quia est inæstimabilis pretij, sed solum laborem, qui in docendo ponitur.

Sed prob. 1. Quia naturali industria paratur, & ex causis naturalibus illa cognitio oritur.

2. Quia quò quis est doctior, eò maius stipendium potest exigere, & tamen minùs laborat: quod est signum, ipsam scientiam æstimari.

3. Idem patet ex eo, quod pro subliniori doctrina maiora solent peti stipendia: quod tamen non liceret, si vendere doctrinam esset simonia. Ita *Regina Saba venit tentare Salomonem in ænigmatibus. Ipse* verò *docuit eam omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, & non responderet ei.* D*edit ergò ei centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata vltrà aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.*

3. Reg. 10.

Nec refert, quòd sapientia non posit auro æstimari: quia sapientia non solùm pendet ab alterius doctrina, sed etiam à lumine interno. Deinde, etsi secundum naturam suam non posit auro conferri; tamen ratione quarundam

dam conditionum annexarum, quæ æstimantur apud homines, vt sunt voluptas cognitionis, dignitas apud homines, vtilitas temporalis inde proueniens, potest sine iniuria auro conferri. Simili modo homo secundum naturam suam est præstantior toto mundo; tamen ratione vtilitatis temporalis ex illo prouenientis potest pretio vendi.

Sequitur 2. in statu nudæ naturæ non futuram fuisse simoniam propriè dictam, quia nihil ibi fuisset supernaturale. Potuisset tamen aliquid esse affine simoniæ: nam fuisset ibi verus Dei cultus veri sacerdotes, sacrificia, & sacrificandi instrumenta, quæ nonnullam habuissent sanctitatem in morali quadam deputatione constitutam quam pecunia æstimare, nonnulla videtur futura fuisse irreuerentia.

Similiter nec apud Iudæos modò, nec apud infideles est vlla vera simonia in venditione rerum sacrarum; nisi ex conscientia erroneâ, quâ existimant se vendere rem sacram, cùm nihil sit apud ipsos verè sacrum aut supernaturale. Ita Ieroboam vendebat sacerdotia excelsorum. *Non est reuersus de viâ suâ pessimâ sed è contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum: quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum.* 3. Reg. 13.

Sequitur tertiò non esse simoniam, dare alicui beneficium ob amorem humanum; vt quia sanguine, vel amicitia iunctus, &c. quia

 nullum

nullum intercedit pactum pro pretio. Similiter nec ob timorem; vt si des alicui beneficium, ne tibi noceat, modò pactum non interueniat. Grauis tamen necessitas communis boni excusare videtur. Ita cùm Ezechias obsideretur à Sennacherib, rege Assyriorum, dixit ei: *Recede à me, & omne, quod imposueris mihi, feram. Deditque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris Regis. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.*

4. Reg. 18.

Sequitur 4. non esse simoniam, quando sacerdos præstat ministeria sacra, etiam principaliter ob lucrum temporale, modò nullum pactum tacitum, vel expressum interueniat: quia ratio simoniæ consistit in pactione, & contractu, secundum communem sententiam Doct. Nec obstat, quòd D. Thom. quodl. 8. artic. 10. contrarium sentire videtur in casu proposito: quia in summa videtur mutasse sententiam, cùm requirat ad simoniam pactum, vt patet 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 5. Potest tamen dici latè simonia; quia qui æstimat ministerium spiritale ex vtilitate temporali, magnam irreuerentiam in illud committit, & facilè ad contractum descenderet. Ita cùm Rex Nabuchodonosor dixisset Danieli: *Putásne verè potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem eius?* si Daniel pactum cum Rege de temporali lucro inijsset, simo-

Dan. 2.

ſimoniacus fuiſſet. Sed Rex vltrò *Danielem in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & conſtituit eum Principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis.*

Sequitur 5. non eſſe ſimoniam, ſi quis animo non quidem verè emendi, aut ſoluendi, ſed decipiendi dumtaxat, aliquid temporale promittat pro beneficio, vt rectè Caietan. opuſc. 9. qu. 2. tom. 2. Sotus l. 9. qu. 8. artic. 1. Idem ſentit Tolet. l. 5. c. 90. Ratio eſt, quia iſte non habet voluntatem verè emendi, ſed mendacio decipiendi.

Peccat tamen, tum quia alterum inducit ad ſimoniam; tum quia externum opus ſimoniacum facit. Poteſt tamen beneficium ſic obtèntum retinere, ſi à legitimo collatore ſit collatum, vt ijdem Doct. tradunt, & fatetur etiam Nauar. c. 23. nu. 106. quamuis velit eſſe ſimoniam conuentionalem.

MORALE.

Cùm appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam. Dominus Ieſus exéplo, & verbo ad fletum nos prouocat. Exemplo, quia ipſe fleuit in pręſepio. Hinc de Chriſto, Saluatore noſtro cantat Eccleſia: *Luc. 19.*

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia.

Et hìc *videns ciuitatem, fleuit ſuper illam.* Et cùm duceretur ad ſepulcrum Lazari, *Lachrymatus eſt Ieſus.* Et in cruce: nam *cum clamore* *Ioan 11.*

Heb. 5. *more valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Verbo, quia dicit: *Si cognouisses*
Luc. 19. *& tu*: subaudi, fleres. Vnde interlinearis: quasi fleuisses, quæ modò exultas. Flente igitur Domino pro nobis, omnes cum ipso flere debemus.

Flendum autem est 1. pro culpa, vt ignoscatur: nam *Petrus egressus foras fleuit amare.* Si
Mat. 26. Petrus pro trina negatione tam amarè fleuit; quantò plus tu pro mille negationibus flere debes? Quoties enim mortaliter peccasti, toties opere Dominum negasti. *Confitentur se*
Tit. 1. *nosse Deum, factis autem negant.* Sed quia parum valet fletus oculorum sine conuersione morum, ideo dicitur: *Nunc ergò in toto corde vestro*
Ioël 2. *conuertimini ad me, dicit Dominus, in ieiunio, & fletu,* &c. Certè qui esset in domo vndiquè ardenti, instantissimè laboraret eam extinguere aquis: quanto magis, ô stulte homo, cùm cor tuum, anima tua ardeat flammis vitiorum, extinguere debes aquis fletuum? *Super*
Ierem. 9. *montem assumam fletum, & super speciosa deserti planctum, quia igne succensa sunt.* Montes sunt Prælati, & potentes. Desertum est religio, vel Ecclesia, cuius speciosa sunt bona opera, boni mores, quibus illi assimilantur, de quo Psalmista dicit: *Speciosus forma præ filijs hominum,*
Psal. 44. &c. Sed stultus homo mortem carnis alienæ deflet, non mortem animæ propriæ. Augustinus ait: Culpabiliter se durum ostendit, qui dāna temporalia, vel mortē amici deflet,
&c

& non dolorē peccati ostēdit per lachrymas.

Flendum est 2. pro gratiâ, vt obtineatur. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, & fleuit, & rogauit illum.* Verbum illud dicitur de luctâ, per quam Iacob obtinuit benedictionem ab Angelo. Iacob, id est, quilibet fidelis, cum Angelo magni consilij, id est, Christo, luctatur, quando insistit desiderijs, & exercitijs spiritualibus ad virtutes, & deuotionem se disponit. Si autem luctando, vel rogando fleuerit, benedictionem gratię obtinere poterit: quam non solùm boni, qui per Iacob, sed & mali, qui per Esau designantur, flendo obtinent. *Cumq; eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Isaac significat Christum. Pinguis terra bonam voluntatem. Ros cœli gratiam Spiritussancti. Vides ergò, quomodo fletu vincatur Deus.

Ose. 12.

Gen. 27.

Flendum est 3. pro miseriâ, vt euadatur. Ita Iob enumeratis multis miserijs dicit: *Facies mea intumuit fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Est autem miseria triplex deflenda: Corporalis, propria, & aliena. Vnde cùm Susanna accusaretur ab iniquis, *Flebāt sui, & omnes, qui nouerant eam.* Et Iob: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Si autem fles cū flente proximo, quantò magis flere debes cū flente Christo, qui etiam pro te fleuit in patibulo? Item de-

Iob 16.

Dan. 13

Iob 30.

deflenda est miseria spiritualis, quod significatur hîc in fletu Domini, dum dicitur: *Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Ciuitas enim Dei, vel diaboli, est homo, qui patitur omnia spiritualiter, quæ dicuntur hic de Ierusalem corporaliter. Item miseria æternalis: *Recedite à me, amarè flebo dies occisionis, & conculcationis, & fletum.* Occisorum, videlicet per mortem æternam. Conculcantur corpora in sepulchro à transeuntibus, animæ in inferno à dęmonibus, in iudicio autem simul vtraque à sanctis triumphantibus. *Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die, quâ ego facio, dicit* Dñs *exercituum.* Et: *Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Huius triplicis miseriæ pericula miser homo nascendo incurrit: vnde benè flendo nascitur. Augustinus: Quid est, quòd anima non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem? Quod malorũ vallem ingressa sit, prophetat quodam modo.

Luc. 19.

Isa. 22.

Malac. 4

Psal. 109.

Flendum est 4. pro patria, vt ad eam veniatur. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Flumina Babylonis sunt mundi concupiscentiæ, vel miseriæ. Sion interpretatur speculum, vel speculatio: & significat patriam, in qua ęterna speculatio est Trinitatis, pro qua meritò flent exules. H*ei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Bernardus: Futura non sapis, neque gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cũ lachrymis. Et nota, quòd sicut per aquas quilibet

Psal. 136.

Psal. 119.

libet in naui faciliter ducitur ad terram: sic in naui pœnitentiæ per aquam fletuum, per torrentem lachrymarum adducitur quis ad patriam cœlestem. *In fletu venient, & in misericordiâ reducam eos per torrentẽ aquarum in viâ rectâ, & non impingent.* Ier. 31.

DOMINICA X.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

CVm *videret Iesus hominem cæcum à natiuitate, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, & lauare in natatoria Siloe. Abijt ergo, & lauit, & venit videns.* Ioan. 9.

MORALITER: Cæcus ille peccatorem designat, qui à natiuitate cæcus est, quia nascitur homo in peccatis. Sed si visum velit recipere, oportet luto, id est, terra, & sputo Domini oculos linire. Terra humilitatem peccatoris significat: sputum cœlestem gratiam: per quæ peccator lumen recipiet, si per dolorem pœnitentiæ se in natatoria lachrymarum lauet. Ita publicanus in hodierno fecit Euangelio, qui *à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

EVAN-

EVANGELIVM: *Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam: duo homines ascendebant in templum, vt orarēt, vnus Pharisæus, & alter Publicanus.*

THEMA: *Decimas do omnium quæ possideo.*

Occasione horum verborum quærendum erit: An, & quo iure pendi debeant decimæ?

Non defuerunt hæretici, qui improbarent morem pendendi ex obligatione Ecclesiasticis ministris partem decimam ex bonis licitè acquisitis. Nam circa annum Domini M. CCC. quidam hæretici dicti Fratricelli, contendebant, sibi tantùm esse pendendas decimas, vt qui viuerent Apostolicè, (sicut iactabant) non autem ministris Ecclesiæ, siquidem paupertatem Apostolicam non profiterentur.

Ita de his refert Turrecremata l. 4. de Eccles. punc. 2. c. 37. Vbi & alios istorum errores refert, inter quos iste est 16.

Hos secutus VViclefus, dixit, decimas esse meras eleemosynas, quas proinde possit populus ad libitum negare sacerdotibus propter eorum peccata.

Qui error inter errores VViclefi damnatus est in Concil. Constantiensi sessio. 8. Pręterea ministri hęresis Arrianæ in Transiluaniâ, in lib. quem anno Domini ediderunt M. D. LXIII. de Antithesibus veri, & falsi

Chri-

Christi, inter alia, quę aiunt non pertinere ad cultum Christi non veri, sed falsi, numerant quoque institutum Decimarum. Quibus hęreticis non in immeritò potest adiungi Erasmus: siquidem in annotationibus suis ad nouum Testam. exactionem Decimarum dixit esse tyrannidem.

Sed ex fide certum est, aliquo tandem iure debere pendi Decimas ministris Ecclesiæ. Et quidem quòd teneatur populus ministris pēdere stipendium sui laboris (quod solet appellari Decimę, quoad sustentationem, seu stipendium ministrorum) ex Script. quoque noui Testam. expresse constat. *In eâdem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo.* Quod ipsum Apostolus non modò affirmat, sed manifestis etiam argumentis probat: *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? &c. Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare; & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et alibi: *Qui benè præsunt, Presbyteri, duplici honore digni sunt: maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ. Dicit enim Scriptura: Non infrænabis os boui trituranti.* Et: *Dignus est operarius mercede sua.* Vbi Haymo:

Luc. 10.

1. Cor. 9.

1. Tim. 5.

mo: *Duplicem*, inquit, *honorem præcipit exhiberi Presbytero in salutationibus videlicet: vt humilient se illi subditi, & in exhibendis donis, subsidijsque temporalibus.* Et certè S. August. in Psalm. 146. *Debetur*, inquit, *seruo cibus. Sicut Dominus ait: Manducate, quæ apud ipsos sunt. Et ne putarent aliquid de suo donare: Dignus est enim inquit, mercede sua.* Et l. 10. homiliarum hom. 48. *Maiores*, inquit, *nostri ideò copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo, modò totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Hieron. in c. 3. epist. ad Tit. in fine: *Apostolicis viris*, inquit, *& Euangelizatoribus Christi in vsibus necessarijs nolle tribuere, sterilitatis seipsum est condemnare.*

Quòd autem determinatè per exhibitionem Decimæ partis bonorum licitè acquisitorum (quæ appellari solet Decima quoad Quotam) debeat hæc merces ministris pendi Ecclesiasticis, patet ex auctoritate Ecclesiæ, quæ id lege sanxit, vt patet ex Decretalibus tit. de Decimis, per multa capita, & 16. qu. 1. c. Decimas. c. Reuertimini, & c. Decimæ, ex Augustin. sermon. 219. de tempore, vbi ait: *Decimæ ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.*

Atque idem patet ex Concilio Constant. sess. 8. vbi error contrarius VViclefi damnatus est. Et in Concilio Tridentin. sess. 25. c. 12.

de

de reformatione ita præcipitur: *Qui Decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: neque ab hoc crimine, nisi restitutione secuta, absoluantur*. Quod tamen Nauar. in Manual. c. 21. num. 32. putat intelligendum nonnisi quando quis potest restituere, antequam oporteat illum absolui ob instantem mortem, vel necessitatem communicandi. Et in Clement. Cupientes, de pœnis, excommunicantur religiosi, qui in concionibus *dissuadent solutionem Decimarum, vel alias quidpiam dicunt, vt alienent homines à soluendis Decimis debitis.*

Sed posito, quod populus teneatur Decimas soluere, supersunt nunc quærenda duo. I. Est: An populus ad id teneatur ex præcepto diuino, an humano? Nam Innocent. in Rubrica, de Decimis, & Glossa in cap. 1. de Decimis, l. 6. & alii Iuristæ citati à Couarrùia l. 1. variar. resolut. c. 17. n. 2. & à Nauar. in Manual. c. 21. n. 28. & à Soto l. 9. de Iustitia, & iure, q. 4. art. 1. putant, etiam nunc in lege Euangelica præcepto diuino obligari populũ ad soluendas Decimas, etiam quantum ad quotam, id est, non solum teneri præcepto diuino, vt ministros alant, sed vt tali modo alãt scilicet, pẽdendo Decimas. Fundamentum præcipuum istorum Doct. est modus loquendi Pontf. in aliquibus Decretalibus, Extra, de Decimis. Vbi dicunt, *Diuino præcepto* Decimas esse soluendas. Item non esse statutas *ab homine, sed à Deo*, vt patet præsertim in cap. Parochia-

rochianos, & c. Tua nobis, & c. Cùm non sint, & c. In quibusdam.

Nihilominus sententia D. Thom. 2.2.quæ 87.art.1.quem Sotus, Nauarrus, Couuaruias, Caiet. & Theologi omnes communiter sequuntur, omninò est amplectenda; quòd videlicet absolutè reddere sufficientem mercedem Ecclesiasticis ministris, sit de iure naturæ, atque adeò de iure diuino: quotam verò Decimarum, videlicet vt id fiat conferendo eis Decimas, in Veteri quidem lege fuisse de iure diuino positiuo; in noua autem solùm de iure humano Ecclesiastico. Quod adeò certum est, vt Maior in 3. dist.37.q.36. affirmauerit, opinionem illam Iuristarum esse hæresin, cùm oporteat eam niti hęretico principio, videlicet præceptum diuinum Iudiciale Veteris legis, de Decimis, adhuc obligare.

Est enim certum de fide oppositum, nimirum cessasse cæremonialia, & iudicialia. Præcepta autem Veteris legis sunt hæc: *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur* Domino. Et alibi: *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Nihil aliud poßidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui.*

Leui. vl. *Num. 18*

Atque ex hoc prob. sententia S. Thomæ.

Nam

Nam præceptum illud diuinum veteris legis iam non obligat: & in lege noua iam nõ extat vſquam tale aliquod diuinum præceptum ſoluendi Decimas, quantum ad quotam. Neque rurſus naturalis ratio determinatè dictat, decimam partem eſſe ſoluendam, cùm aliter poſsint ali miniſtri. Sequitur ergò ſolo iure humano eſſe iam Decimas ſoluendas.

Ad modum autem loquendi Pontificum reſpondent prædicti Theologi, quòd dicunt Pontifices, præcepto diuino eſſe ſoluẽdas Decimas, intelligendum eſſe exemplariter, vel imitatiuè, hoc eſt, ſoluẽdas eſſe præcepto humano Eccleſiaſtico, quod fuit traditũ exemplo diuinæ legis, & ideò eſt firmius.

Quærendum II. eſt, poſito quòd ſolo pręceptò humano ſoluendę ſint Decimæ: Vtrum hoc præceptum fuerit conuenienter traditũ? Ratio dubitandi eſt. Nam in veteri lege miniſtri ſpirituales, id eſt, Leuitæ, quibus decimæ iure diuino decernebantur, erant duodecima pars populi Iudæorum, & præterea debebant vxorem, & liberos alere. Nunc verò ſpirituales miniſtri vix ſunt ſexageſima, aut quinquageſima pars populi Chriſtiani. Ergò non eſt rationi conſentaneum, tantum illis modo conſtitui ſtipendium, quantum olim Leuitis. Propter hanc rationem Caietan. art. 1. huius quæſt. putat, Decimas decerni iam Eccleſiaſticis miniſtris, non tantùm victus ipſorum cauſa, ſed etiam vt eas commu-

nicent cum pauperibus, quorum debent esse veluti patres in lege Euangelica, exemplo Christi, qui loculos habuit pro pauperibus, vt ait Hieronym. super Matth. Nam Iudas obmurmurabat Magdalenæ vnguentum effundenti, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.*

Ioan.12.

Et quidem, si Caietanus intelligat, teneri Ecclesiasticos strictissimo præcepto misericordiæ pauperibus eleemosynas erogare ex Decimis, verè sentit; & hoc ab omnibus conceditur. Si vero velit, eos debere ex iustitia pauperibus erogare partem Decimarum, ita vt si non faciant, debeant illis restituere, non est certa hæc illius sententia. Sunt enim graues auctores, inter quos est Sotus l.9. de iustitia, q.3. art.1. qui censent, Ecclesiasticos esse verè Dominos omnium suorum redituum Ecclesiasticorum; ac proinde non ex iustitia, sed ex strictissimo pręcepto misericordię, debere ex illis subuenire pauperibus.

Itaque quidquid sit de hoc, ad propositam quæstionem resp. conuenienter omnino fuisse traditum hoc pręceptum non obstante ratione facta.

I. Quia ministri legis Euangelicę sunt multo digniores.

2. Quia, vt benè ait Sotus illic, non sunt tam pauci, quàm Caiet. benè putat.

3. Quia multo plus, & frequentius laborãt.

4. Quia

4. Quia non ſuccedunt iure hęreditario in bonis Eccleſiaſticis, ſicut ſuccedebant Leuitæ parentibus: ex quo fiebat, vt eſſent ditiſſimi.

5. Quia ſępe aliqua pars de Decimis detrahitur propter neceſsitates Eccleſiæ.

Et accedit ad hęc omnia pro congruentia pręcepti huius ratio quędam myſtica minimè contemnenda. Nam, cùm ſolus denarius numerus ex omnibus numeris ſimplicibus (qui ſcilicet ex ipſo denario, & alijs non componantur) ſit perfectus; conuenientiſsimè decimam bonorum partem offert quis Deo in illius miniſtris; vt retinens ſibi nouem, quibus ad perfectum numerum aliquid deeſt, & DEO dans partem decimam, quę numerum perfectum complet, hoc ipſo & imperfectionem, atque indigentiam ſuam, & Dei perfectionẽ agnoſcere ſe proteſtetur; ſicut optimè D. Thom. art. 1. indicauit.

Atque hęc fortè fuit ratio, cur olim ſancti aliqui ex inſtinctu Dei citra præceptum obtulerint Decimas Deo, vel in ſe ad ſacrificiũ, vel in eius miniſtris: vt Abraham, qui *dedit Melchiſedech, decimas ex omnibus.* Et Iacob, qui *votum vouit dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, &c. cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Nimirum ad cultum ſacrificiorum, vt interpretandum hoc putat D. Thom. ar. 1. ad 3.

Gen. 14.

Gen. 28.

Luc. 18. MORALE. *Publicanus à longè ſtans.*

Quicunque in mundo ſtat in pœnitentia, & in iuſtitia, in iudicio ſtabit in magna conſtantia. In hac ergo vita ſtare debet homo ad ſeruiendum Deo retribuenti, ad acquieſcendum Angelo cuſtodienti, ad ſubueniendum proximæ indigenti, ad reſiſtendum diabolo inuadenti.

Stare debet 1. ad ſeruiendum Deo: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore.* Per iuſtitiam bonum facis: per timorem malum fugis. Et certè à iuſtitia bene viuendi, vel rectè iudicandi neque timori mortis cedere debes. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Et certè ſemper ſic in timore eſſe debes, ſicut illi, qui in periculis ſunt maris: *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui.* Dei ergò timor, & iuſtitia non ſolùm ſunt, quaſi duo crura, quibus fortiter ſtamus, ſed etiam quaſi duo brachia, in quibus Chriſtum portamus. Vnde de Simeone Chriſtum in vlnis portante dicitur: *Homo iſte iuſtus, & timoratus.* Libenter ſtare poſſumus ad ſeruiendum Deo, quia ipſe ſtat ad remunerandum nos. Vnde Stephanus iam remunerandus dicit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.*

Eccli. 2. — Eccli. 4. — Iob 31. — Luc. 2. — Act. 7.

Stare debet 2. ad acquieſcendum Angelo cuſtodienti: *Oſtendit mihi Deus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem coram Angelo.* Ecce, chariſsimi,

Zach. 3.

rissimi, coram Angelis ad omne opus bonum nos incitantibus stare debemus, vt acquiescamus eis, neque retro recedamus, ne gaudium, quod de nostra conuersatione habent, minuamus. Væ tibi, quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, conuerti ad vomitum; putas, quòd placatos habebis in iudicio, quos modò tanto, & sperato vis priuare gaudio? Et quia coram Angelis stamus, mirum est, quòd eis præsentibus audemus facere, quod coram hominibus non audemus: imò semper ita deuoti esse deberemus, ac si singulos videremus. *In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.* Libenter stare possumus ad obtemperandum eis, quia ipsi stant ad promouendum nos. *Stetit Angelus ante altare habens thurribulum aureum.* Vide ergò, vt incensum orationis sæpe ponas in thurribulum Angeli tui, ne ad tuam verecundiam vacuo thurribulo stet coram Deo. Fumus autem de incenso orationis ascendens deuotionem significat.

Psal. 137

Apoc. 8.

Stare debemus 3. ad subueniendum proximo indigenti: *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Stare ergo debes ad subueniendum egenis. Item ad subueniendum læsis: *Et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Vnde non est satis, quòd pauperibus erogaueris: *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui mactat filium in conspectu Patris sui.* Ioannes Chrysostomus: De sanguine mise-

Luc. 19.

Eccli. 34

torum tollere, & Deo offerre, illud non est Deo offerre, sed violentiæ suæ socium facere Deum, vt sibi oblatam pecuniam de peccato libenter accipiat, & sibi consentiat in peccato. Libenter stare debemus ad subueniendũ, & satisfaciendum proximis, vt & ipsi stent ad indulgendum, & orandum pro nobis. Di- *Marc.11* *mittite, si quid habetis aduersus aliquem.* Sed certè multi stant ad orandum pro alijs, qui potiùs stare deberent ad orandum pro seipsis: sicut publicanus iste à longè stetit. Augustinus: Si non sum dignus orando oculos leuare, certè non sum dignus eos plorando cæcare.

Stare debemus 4. ad resistendum diabolo *Ephes.6.* inuadenti. *Accipite armaturam Dei, vt poßitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti state,* State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ. Armatura nostra virtutes sunt, quibus contra vitia armamur; sicut mansuetudine contra iram; continentia contra luxuriam; humilitate contra superbiã; & sic de alijs virtutibus. *Induamur arma lucis.* Certè nullus ita stultus est, qui libenter pugnet nudus contra inimicum mortalem benè armatum. Et ecce diabolus fortissimus inimicus noster armatus est contra nos astutijs, & nequitijs multis. *Cùm fortis armatus custodit* *Luc.11.* *atrium suum, in pace sunt ea, quæ poßidet.* Certè si viriliter stas in armis contra diabolum in mundo, coronam victoriæ habebis per Christum in cœlo. Augustinus: Non debet frangi,

cùm

cùm prœliatur, qui vult poſt prœlium coronari. Vires ille ſubminiſtrabit certantibus, qui præparat bona ineffabilia victoribus. Libenter ſtare poſſumus ad reſiſtendum diabolo, quia ipſe ſtat ad impugnandum nos: *Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei.* Zach. 3.

DOMINICA XI.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

Sampſon dormiens ſuper genua Dalilæ, & in ſinu eius caput reclinans, crines ſuos, & fortitudinem amiſit. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſtijm, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Iud. 16.

MORALITER: Sampſon mundanum hominem deſignat, qui dormit ſuper genua Dalilæ, quando in proſperitatibus mundi quieſcit; & caput ſuum in ſinu eius reclinat, quando nihil, niſi mundanum cogitat. Sed tunc Philiſtijm irruunt, quando talem diaboli inuadunt; oculos eius eruunt, vt videre non poſsit lumen veritatis; catenis illum vinciunt, quando ad infernum trahunt; & clauſum in carcere molere faciunt, quando infernalibus eum tormentis affligunt. Vt ergo

Marc. 7. homo mundi non capiatur blanditijs, *addu- cunt* hodiè ad Dominum Iesum *mutum & sur- dum, & deprecantur eum, vt imponat illi manum.*

Ibid. EVANGELIVM: *Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galileæ, inter me- dios fines Decapoleos.*

THEMA: *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Encomium illud est Christi proprium, & B. Virginis ex priuilegio. Ceteri namque omnes quantumnis sancti, quędam interdũ malè faciunt. Ostendemus itaque non posse etiam cum diuinâ gratiâ, secundun legem ordinariam, ita seruari pręcepta omnia, vt vitentur quoque omnia peccata venialia.

Dicimus, secundum legem ordinariam, nam ex singulari Dei priuilegio, non est du- bium, quin posśint omnia venialia vitari. Cuiusmodi priuilegium credit Ecclesia, ha- buisse B. Vriginem, de quâ etiam B. August. l. de natura, & gratia, c. 36. *Propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, ha- bere vult quæstionem.*

Intellecta igitur nostra assertio secundum ordinariam legem, probanda est contra Pela- gianos, qui existimabant, posse, & debere ho- minem viuere absque omni peccato, vt intel- ligi potest ex D. Hieron. l. 2. cont. eosdem, & in epist. ad Cthesiphontem, & ex D. August. hæres. 88. & in l. de perfectione iustitiæ, & l. de gratia Christi, & aliàs.

Prob.

Prob. nostra assertio 1. ex aliquot Script. sententijs, quibus omnes homines generatim, atque adeò etiam iustos significatur passim delinquere: quæ proinde sententiæ de peccatis venialibus intelligendæ sunt: nam iusti peccatis mortalibus non delinquunt, quamdiu in iustitia quidem perseuerant. Sunt autem eiusmodi sententiæ permultæ: *Non est homo, qui non peccet*, secundum 70. *Nemo mundus à sorde*. Et: *Septies in die cadit iustus*. Et: *Non enim est homo iustus, qui faciat bonum, & non peccet*. Et: *Dimitte nobis debita nostra*. Quod omnes, quantumuis iusti, debent orare. Et: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati*. Quod Apostolus in persona iustorum confessus est. Sicut etiam Ioannes in eorum persona loquitur dicens: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et: *In multis offendimus omnes*.

3. Reg. 8. Iob 14. Prou. 24. Eccle. 7. Mat. 6. Rom. 7. 1. Ioan. 1 Iac. 3.

Prob. 2. contra Pelagianos, qui solis etiam naturæ viribus eam facultatem tribuebant: nam contra eos definitum est, & abundè probatum in Concilio Mileuitano, can. 6. vbi ita legimus: *Quod ait S. Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem non oportere dicere, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus,*

& adiungit: Si autem confeßi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui remittat nobis peccata. Vbi satis apparet hoc non tantùm humiliter, sed veraciter etiam dici. Poterat enim dicere Apostolus: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cùm ait: Nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Et Can. 7. & 8. affirmatur, homines etiam iustos debere illa verba vsurpare: *Dimitte nobis debita nostra*, & anathemate feriuntur illi, qui aiunt, *eiusmodi sanctorum voces non pro seipsis, sed pro alijs, aut humiliter tantùm, non etiam verè ab illis vsurpari.* Idem in Concil. Tridentin. seß. 6. c. 11. & can. 23. confirmatum est.

Prob. 3. ex Patribus: D. Irenæo l. 3. c. 37. D. Gregorio Nazianzeno oratione in plagā grandinis. D. Chrysost. hom. 20. in Matth. D. Cypriano serm. de opere, & eleemosynis. D. Ambros. expositione in Isa. D. Hieron. l. 2. contra Pelag. D. August. epist. 29. ad Hieren. & l. de natura & gratia, c. 36. D. Gregor. l. in l. 1. Reg. c. 13.

Prob. 4. ratione D. Thomæ, 1. 2. q. 109. ar. 8. quam ita formo: Quę peccata impulsu sensualitatis præcipuè sine magno rationis superioris vitio, committi poßunt, ea ne per gratiam quidem vitari poßunt omnia. Huius autem generis sunt venialia peccata. Ergò nequeunt omnia per gratiam vitari. Maior prob.

prob. ex confeſsione illâ Apoſtoli: *Sentio aliam legem in membris meis.* Et: *Mente ſeruio legi* Dei, *carne autem legi peccati.* Et: *Non quod volo, bonum hoc ago, ſed quod odi malum.* Vnde meritò colligit D. Thom. mẽtem hominis in hac vita non ſeruari per gratiam quoad inferiorem partem ſecundum ſenſualitatem, ſed tantùm quoad ſuperiorem: ideoq́ue non poſſe ea omnia peccata caueri, quæ impulſu ſenſualitatis, ſine notabili defectu rationis committi ſolẽt; qualia ſunt venialia, quæ proinde peculiari ratione adſcribuntur ſenſualitati. Minor per ſe clara eſt.

Rom. 7.

Prob. poſtremò ex modo, quo mens hominis ſanatur per gratiam. Hoc enim fit, quatenus per gratiam, & habitus virtutum ab ea fluentes afficitur homo erga Deum, & cœleſtem beatitudinem: quo ipſo promptus redditur ad ſuperandas difficultates, quæ obſtant mandatorum obſeruationi. Cum eo autem affectu non pugnant venialia: ſiquidem non auertunt hominem à Deo, tanquam ab vltimo fine. Quare cùm poſsit homo illum affectum, atque adeò amicitiam diuinam retinere, licet in venialia peccata incidat, nõ ita per gratiam promptus redditur ad vitanda peccata venialia ſuperatis eorum incitamentis, ſicut ad vitanda mortalia.

Atque hęc quidem ratio generatim probat, gratiam non præbere homini facultatem vitandi peccata venialia omnia, id eſt, tum ea,

quæ

quæ committuntur ſine deliberatione plena, tum ea, quæ cũ plena deliberatione rationis in leui materia, cuiuſmodi eſt exiguũ furtũ, aut verbum ocioſum. Nam nulla huiuſmodi peccata venialia ſunt talia, vt cũ affectu erga Deum, & beatitudinem pugnent: quanquam omnia peccata venialia eum affectum retardent. Vnde fit, vt quò aliquis in gratia, & charitate magis proficit, eò magis poſsit vitare peccata venialia, præſertim ea, quæ cum plena deliberatione rationis admittuntur.

Nullus tamen iuſtus poteſt omnia venialia cauere. Nam etſi aliquis eò perfectionis perueniſſet, vt ea, quæ cum plena deliberatione committuntur, poſsit cauere, nõ tamen poſſet cauere omnia, quæ impulſu potiſsimùm ſenſualitatis ſine plena deliberatione admitti ſolent.

MORALE.

Statim apertæ ſunt aures eius.

Marc. 7.

Aperire debemus oculos, aures, os, & manus. Oculos ad credendum fideliter: aures ad obediendum humiliter: os ad loquendum vtiliter: manus ad ſubueniendum miſericorditer.

Ioan. 9. Epheſ. 1.

De I. *A ſeculo non eſt auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* De his oculis: *Pater gloriæ dat nobis oculos ſapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis noſtri.* Aperiuntur autem per ſputum, & lutum. Vnde: *Eſt caro noſtra lutum, Patris ſapientia ſputum.*

Benè

Benè autem filius Dei, qui eſt ſapientia, ſignificatur per ſputum de ore procedens: *Ego ex ore altißimi prodij*. Lutum verò eſt caro noſtra: *Memento, quæſo, quòd, ſicut lutum feceris me*. Agamus ergò gratias filio Dei, quòd in lutum ſe poſuit propter nos, vt nos de luto vitiorum extraheret. Pſalmiſta: *Eripe me de luto, vt non infigar*. Lutum ergò cum ſputo ſuper oculos ponitur, quando Verbum caro creditur, & ſic poſt lotionem baptiſmi illuminãtur oculi animarum: quia dum diuinitas defectũ carnis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit. Hoc vtique collirium gratis recipere poſſumus, & gratis illuminari per Chriſtum: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.*

Eccli. 24. Iob 10. Pſ. 86. Rom. 3.

De II. dicitur hîc: *Statim apertæ ſunt aures eius*. Et illud: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij*. Quo modo autem aperiantur, oſtenditur hîc, quia *miſit digitum in auriculam eius*. Digiti Chriſti ſunt dona Spiritus S. *In digito Dei eijcio dæmonia*. Ecce apparet, quòd qui clauſus habent aures, id eſt, inobedientes: digito Dei, id eſt, Spiritu S. non tanguntur. Tales autem contumaces aures ad obediendum, quando non aperiuntur Dei digito, neceſſe eſt, vt quandoque feriantur Petri gladio, id eſt, ſententia excommunicationis. *Amputauit auriculam eius dextram*. Non percuſsit aliud membrum, quã auriculam, quia ſola inobedientia contumax excommunicationis gladio ferienda eſt.

Mar. 7. Iſa. 50. Marc. 7. Luc. 11. Luc. 22.

De

Luc. 1. De 3. *Apertum est illicò os eius.* Hoc dicitur de Zacharia. Debemus autem os aperire ad orã-
Eccli. 39 dum: *Aperiet os suum in oratione.* Item ad docẽ-
Prou. vl. dum: *Os suum aperuit sapientiæ.* Item ad confitendum, & ad alia, quæcunque iusta sunt, lo-
Ibid. quendum: *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt.* Non autem ad scurri-
Ephes. 4. lia, & inutilia: *Omnis sermo malus de ore vestro nõ procedat: sed si quis bonus est, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.*

Prou. vl. De 4. *Manum suam aperuit inopi.* Et: *Ego præ-*
Deut. 15 *cipio tibi, vt aperias manum tuam fratri egeno, & pauperi, qui tecum versatur.* Frustra aperient manum ad præmium accipiendum, qui eas
Eccli. 4. claudunt nunc ad benefaciendum. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Sicut ergò mendicus somnians se habere magnum thesaurum in manu, dum vigilat, nihil inuenit: sic anima peruersi diuitis
Ps. 75. euigilantis in morte. *Dormierunt somnum suũ, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Augustinus: Transit somnus iste, transit vita ista, & nihil inueniunt in manibus suis, qui nihil posuerunt in manu Christi.

DO-

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

CVM Sampſon *veniſſet ad vineas oppidi Thamnathæ, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei: ipſe verò dilacerauit leonem, quaſi hœdum in fruſta decerperet. Et poſt aliquot dies reuertens declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Iud. 14.

MORALITER: Leo iſte peccatorem deſignat, qui ſæuit in propriam animam, quã occidit; & rugit, quia malo ſuo exemplo alios ad peccatum trahit. Sed hic leo à Samſone laceratur, quando per efficacem Dei gratiam conuertitur, & per pœnitentiam ſpiritualiter moritur. Poſt aliquot verò dies fauus mellis in ore leonis apparet, quando dulcedo charitatis, & chariſma Spiritus S. in anima conuerſi ſedet: tunc etiam apes aduolant, quia proximi noſtri ex virtutibus, & Spiritus S. fructibus dulcedinem ſpiritualem ſugunt.

EVANGELIVM: *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Dico *enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerũt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Luc. 10.

THEMA: *Approprians alligauit vulnera eius.*

Sama-

Samaritanus ille figura fuit Christi Domini sanantis peccatorum vulnera per Sacramenta: de quorum proinde vtilitate, & efficacia agendum erit.

Possumus autem de necessitate Sacramenti loqui dupliciter.

I. Ex hypothesi, considerata institutione diuina, ac lege. Sic omnino dicendum est, Sacramenta esse hominibus ad consequendam salutem simpliciter necessaria; non quòd singula singulis ita necessaria sint, sed quia quædam singulis sunt necessaria, & omnia ipsi certè communitati Ecclesiæ Christianæ, & ex lege, & institutione diuina, vt videre est apud D.Thom. p.3. qu.65. art.4.

II. Loqui possumus absolutè, id est, considerando tantùm ipsam sacramentorum rationem, atque naturam. Et hoc pacto etiam à D.Thom. hîc art.1. & ab alijs simpliciter dici solet, sacramenta hominibus esse necessaria ad salutem; non quia nequiuerint omnino alio modo sine sacramentis salutem consequi, sed vt rectius illam, & conuenientius consequantur. Iuxta hanc doctrinam etiam D.August. l.13. de Trinit. c.10. scripsit, incarnationem necessariam fuisse ad salutem hominum: *Non*, inquit, *quia alius modus non fuit possibilis Deo, sed quia sanandæ nostræ miseriæ alius conuenientior modus non fuit, neque esse alium oportuit.*

Porrò hanc vtramque sacramentorum neces-

necessitatem (scilicet ex hypothesi institutionis diuinæ, & ad meliùs consequendam salutem) negarunt olim hæretici quidam, quos Theodoretus l.1. hæreticarum fabularum circa medium appellat Ascodrytos, & Acadrupitas, & Archonticos: quos ait sensisse, non oportere *diuina mysteria, quæ sunt inuisibilium signa, per res, quæ videntur, peragi; neque incorporea per sensibilia, & corporea: esse autem perfectam redemptionem veram eius, quod est, cognitionem.* Et infrà: *Anathematizant autem lauacrum, & mysteriorum communionem.* Quod vltimum testatur quoque de his Archonticis Epiphan. hæres. 40. Atque etiam Sacramenta Ecclesiastica despiciebant hæretici Fratricelli teste Ioanne XXII. in Extrau. Sancta Romana, de Religionis domibus. Et idem de nostri temporis hæreticis Swinckfeldianis testatur Fredericus Staphilus lib. de concordia discipulorum Lutheri.

Sed hic error sufficienter conuincitur ex ipsa diuina institutione sacramentorum, quæ minimè potuit esse inutilis. Deinde pro hac necessitate sacramentorum ad salutem melius consequendam optimæ rationes sunt illæ tres, quas art. 1. D. Thomas ducit ex ipsa natura hominis, & ante illum etiam duxerat Magister d. 1. Hugo Victorinus l. 1. de Sacramentis, p. 9. c. 3.

Quia scilicet vsus huiusmodi remediorum, & signorum corporalium prodest ho-

mini, Primò, vt erudiatur; dũ per iſta ſenſibilia ſigna, quæ quaſi verba quædã viſibilia ſunt (vt ait tract. 80. in Ioannem, & lib. 19. contra Fauſtum, c. 16. Auguſtinus) commodius intelligit ſpiritualia myſteria, in quorum alioqui cognitione impeditur maximè ab ignorantia contracta per peccatum. Qua etiam ratione D. Dionyſius de Eccleſ. hierarch. c. 1. notauit, hierarchiam hanc Eccleſiæ militantis ſenſibilibus ſignis rectè conſtare: cœleſtem autem illam intelligibilibus. Ita cùm Saul præuaricatus fuiſſet pręceptum Domini, *Conuerſus eſt Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Sicut igitur per ſciſsionem illam pallij Saul eruditus fuit, quòd ſcinderetur regnum ab eo: ita per ſenſibilia ſigna ſacramentorum ſpiritualia intelliguntur.

1. Reg. 15.

Prodeſt 2. vſus huiuſmodi ſignorum corporalium, vt homo humilietur per hoc, quòd ab his rebus inferioribus ſalutis remedium capiat; quæ fuerunt illi anteà occaſio peccati. Ita cùm Naaman iuberetur ſepties lauari in Iordane, iratus recedebat dicens: *Putabam, quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.* Quare iraſcebatur, niſi quia per iſtam lotionem humiliabatur.

4. Reg. 5

3. Vt exerceatur homo conuenienter natu-

ræ suæ, quæ est propensa ad huiusmodi res externas: atque etiam vt ita abstrahatur ab alijs cultibus superstitiosis, qui eiusmodi creaturarum vsu illicito exerceri solent. Ita Caleb, vt populum Israël ab Ægypto traheret, & amorem illi terræ promissionis instillaret, attulit secum palmitem cum vua sua, & mala granata, & ficus loci illius, vt illis caperetur delicijs, & ardentius ad terram illam aspiraret.

Num. 13

4. Ratio ex parte naturæ hominum, vt scilicet per eiusmodi cultum sensibilem coadunetur populus Christianus, & ab alijs discernatur populis. Quò pertinet illa ratio D. Augustin. l. 19. contra Faust. c. 11. *In nullo*, inquit, *nomen Religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Ita responderunt filij Iacob Sichem, & Patri eius: *Non possumus facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos.* Quare quæso? quia filij Iacob per circumcisionem, tanquam per signũ sensibile, coadunati erant.

Gen. 34.

Deinde ex parte Dei aliæ desumuntur rationes. Nam I. Deus in eâ re ostendit suam misericordiam, dum remedia in ijs rebus, quę sunt in promptu, constituit. Vnde Dominus ad filios Israël: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, nec in cælum situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet*

Deut. 30

ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.

II. Ostendit suam iustitiam, dum superbiam hominis, qui se immoderatius, extulerat, ita accommodatè castigat, instituens, vt remedium quærat in rebus ipso humilioribus, & inferioribus. Ita vt humiliaretur Nabuchodonosor, *ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos, comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.*

Dan.4.

III. Ostendit Deus suam sapientiam, quatenus in aliquibus sacramentis, vt in pœnitentia, coniunxit effectus diuersissimos, scilicet pudorem hominis sua peccata detegentis, & magnam eius consolationem. Atque item, quòd ita causæ instrumentales nostræ salutis similes essent potissimæ causæ illius, nempe Verbo incarnato, quod per naturam assumptam etiam corpoream nobis salutem comparauit; vt benè ratiocinatur D. Thom. lib. 4. contra Gent. c. 56.

Ita Salomon ostendit sapientiam suam in lite mulierum. Cùm enim vna diceret: *Obsecro Domine: date illi infantem viuum, & nolite interficere illum.* Altera verò; *Nec mihi, nec tibi, sed*

3 Reg. 3

ſed diuidatur: reſpondit Rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc eſt enim mater eius.

IIII. Oſtendit ſuam potentiam, quòd rebus eiuſmodi regnum deſtruat diaboli. Ita ſuam oſtendit Chriſtus potentiam erga ſpiritum immundum, qui exclamabat: *Quid nobis & tibi, Ieſu Nazarene? Veniſti ante tempus perdere nos? Scio, qui ſis, ſanctus Dei.* Oſtendit, inquam, ſuam potentiam: nam *comminatus eſt eis Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine.* Tantum enim verbum illud prȩualuit, vt *diſcerperet eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna exiret ab eo.*

Marc.1.

Denique ex parte ipſarum creaturarum corporalium potiſsimæ rationes ſunt hæ.

1. Vt ſic oſtenderetur, eas non eſſe natura malas, ſicut impiè exiſtimabant Manichæi. Quâ ratione vſus eſt etiam D. Thom. loco illo contra Gent. ac eam attigit S. Leo ſerm. 4. de Quadrag. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

1.Tim.4

2. Quia illæ creaturæ hominum cauſa conditæ ſunt: quare conuenienter ad hominum ſalutem vſurpantur. Hinc Deus dicebat: *Faciamus hominem, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.*

Gen.1.

3. Vt eâ ratione referantur ad conciliandam Deo gloriam, eique gratias agendas, non modò vt earum creatori, sed etiam vt redemptori hominis, qui illarum finis est. Qua ratione Christus in homine quodammodo instaurauit creaturas vniuersas, vt significat Apostolus. Quemadmodum contrà etiam destruuntur quadam ratione, & *ingemiscunt creaturæ*, (vt loquitur idem Apostolus) quando homini inseruiunt ad peccandum, & non ad colendum earum creatorem, & redemptorem hominis. Nam & ob hanc causam ab Apostolo scriptum est, quòd *creatura vanitati subiecta est, non volens*; id est, homini ad peccatũ inuita quodãmodo seruit. De qua re pulchrè scribit S. Ambros. l. 5. epist. 21.

Ephes. 1.

Rom. 8.

Atque ex hac quidem vltima ratione facilè intelligi potest, quid sibi voluerit D. Irenæus, cùm l. 4. c. 32. de Sacram. Eucharistiæ tractans, dixit, *Christum mandasse suis discipulis*, vt eo sacramento *primitias de suis creaturis* Deo *offerrent, non quasi indigenti, sed ne ipsi ingrati circa creaturas, & infructuosi apparerent, &c.* Insinuauit nimirum hoc loco Irenæus, rationem illam vltimam ex parte creaturarum ductam pro institutione sacramentali.

MORALE.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.

Luc. 10.

Beati, qui corporaliter; beatiores, qui spiritualiter; beatissimi, qui æternaliter Christum vident. Non solum autem Christus, sed & alia

alia nobis videnda sunt, vt beati simus.

Videndum autem est 1. quid dolēdum sit, scilicet peccatum. Vnde scriptum est: *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Deū tuum.* Si enim malum & amarū est, reliquisse Principem, vel amicum, vel oculum, in infinitum amarius & cōfusibilius est, relinquere Deum. *Domine Deus, qui te derelinquunt, confundentur.* O si ista benè videremus, quanta flere deberemus? Gregorius: Debemus pensare malum, quod consequuntur, pensantes gemere, gementes vitare: ea, quę cōmisimus, peccata indesinenter aspicere, aspicientes flere, flentes abstergere. Tu ergò peccata propria, sed iudex videre debet aliena. Vnde Petrus, ecclesiæ prælatus, dixit Simoni Mago: *In felle amaritudinis, & in obligatione iniquitatis video te esse.* Vt autem veritatem videas, descēdas in te ad inquisitionem exemplo Domini. *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

Ierem. 2
Ier. 17.
Act. 8.
Gen. 18.

Videndum est 2. quid sit agendum, nempe bonum. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis.* Augustinus: Ambulare operibus, & virtutibus, perficere est. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Facere iudicium, sc. de teipso: diligere misericordiá in proximo, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Nónne iudicium facit, qui furem, vel latronē suspen-

Ephes. 5.
Mich. 6.

dit? Sic peccator seipsum, tanquam furem, & animæ suæ iugulatorem suspendere debet in cruce pœnitētię. *Elegit suspendium anima mea.* Videte ergò, quomodo cautè ambuletis proficiendo in bono: videte, quomodo cautè, cauendo scilicet à malo. *Qui se existimat stare, videat ne cadat:* vtique in foueam inferni: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Propter hoc sancta quatuor animalia plena sunt oculis antè, & retrò: quoniā sancti plenam debent habere circumspectionem, antè ad proficiendum in bono, retrò ad pręcauendum à malo. Gregorius: Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter prouidens, & mala solerter cauens.

Job 7. 1. Cor. 10 Matt. 15 Ezech. 1

Videndum est 3. quid spernendum, nempe terrena omnia. *Vidi in omnibus vanitatem, & attritionem animi, & nihil permanere sub Sole.* Verè in omnibus, in honoribus, in diuitijs, in voluptatibus vanitas est: sicut vanū est somnium, vana est vmbra. Vmbram enim equi pro equo tenere vanitas est: sic transitoria respectu ęternorum: ideò si omnia, quasi fumū, vel vmbram, vel somnium, vel fœnum, aut fœni florem nominemus, minùs profectò, quàm se habet veritas, dicimus. Hanc vanitatem cognoscent in inferno, qui nolunt salubriter in hoc cognoscere mundo. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tanquam vmbra.* O si benè ista videres, quam miseram

Eccle 2. Sap. 5.

tem-

temporalium auaritiam iudicares! Bernardus: Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum, tu deſines iam ea ſequi, quæ conſequi miſerum eſt. Vidiſti vanitatem tranſitoriorum, vide nunc vanitatem amatoris eorum. Pſalmiſta: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius:* ſcilicet neque in mundo, neque in cœlo, ſed in inferno.

Pſal.36.

Videndum eſt 4. quid ſit recipiendum, nempe ęterna. *Circumſpice, Ieruſalem, ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem:* iucunditatem vtique æternam. Gregorius homil. 37. in Euang. Quis intellectus capere ſufficit illius ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia? O ſi viſum in illam iucunditatem intenderes, quàm parum pęnitentiarum, & aduerſitatum dura timeres! Vnde neque Stephanus lapides timuit, quando *intendens in cœlum, vidit gloriam Dei.* Vides ergò, quid ſit recipiendum in bonis: vide quoque, quid recipiendum ſit in malis. *Quid tu vides,* Ieremia? *Ollam ſuccenſam ego video.* Hæc olla poteſt ſignificare infernum, in quo diabolus, tanquam cocus horribilis, carnes ſuas, id eſt, carnales, & luxurioſos coquit, quæ ſuccenſa eſt igne æterno. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.*

Baruc.4.

Act.7.

Ierem.1.

Deut.32

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

Num. 12. CVM Maria, soror Moysis, obmurmurasset Moysi, *Ecce apparuit candens lepra, quasi nix*. Sed cùm Moyses clamasset ad Dominum, dicens: *Deus, obsecro, sana eam*: sanata est, & post septem dies reuocata.

MORALITER: Lepra significat peccatum, quo anima inficitur, quando consensum illi plenum tribuit. Sed vbi per pęnitentiam ad Sacerdotem recurritur, & ille absolutionem debito modo impartitur, tunc anima à lepra peccati liberatur. Septem aûtem dies satisfactionem significant, qua expleta iterum ad electos Dei per gratiam reuocatur.

Luc. 17. EVANGELIVM: *Cùm iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam, & cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.*

THEMA: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.*

Occasione horum verborum de forma Sacram. Pœnitentiæ disputandum erit, quæ consistit in illis verbis Sacerdotis: *Ego te absoluo*: in quibus tamen verbis tantummodo illa duo sunt de essentia: *Te absoluo*; vt Sotus dist. 14. qu. 1. ar. 3. ex communi sententia declarat.

Nam

Nam tantundem significabis, ac si dicas: *Ego absoluo.*

Prob. autem eam esse formam I. quia vniuscuiusque sacramenti forma in ijs verbis consistit, quæ vi sua, vel ex accommodatione, & vsu significant proprium effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Sed illa verba significant proprium effectum huius sacram. Ergò sunt forma. Maior sequitur ex duabus propositionibus, quæ sunt certę, & extra controuersiam. Vna est: Sacramenta constare ex rebus aliquibus, vt materia, & verbis, vt forma; id est, significationem cuiusque sacramenti tum in rebus, tum in verbis aliquibus institutam esse. Altera est; Sacramenta, vt ex verbis, & rebus constant, esse signa efficacia, id est, per verba, & res, illud ipsum significari, quod fit in vsu sacramenti. Minor prob. quia effectus proprius huius sacram. est remissio, & liberatio à peccatis post Baptismum commissis. Hunc autem effectum significant illa verba Sacerdotis hoc ipso, quod ab eo proferuntur post factam à pœnitente cõfessionem eorum peccatorum, quæ post Baptismum cõmissa sunt.

Prob. 2. Nam sicut Christus ministerium Baptismi significauit illis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ita ministeriũ Sacram. Pœnitentiæ illis: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

Matt. 28

Matt. 18

Prob. 3. Nam ita docet Ecclesię traditio,

&

& vsus, de cuius initio minimè constat; vt merito proinde hanc esse formam huius Sacram. definitum sit in Concilio Florent. & Trident. sess. 14. c. 3. Cur autem ea verba rectè dicantur forma, declarat optimè D. Thom. p. 3. q. 8. ar. 3. Et est ad eam rem hęc etiam notanda ratio. Cùm enim significatio Sacramenti sit cõmunis formę, & materię illius, hæc est differentia formæ, & materiæ illius in significando: quòd materia minùs distinctè effectum ipsum Sacramenti significat; forma magis distinctè. Vt ablutio, quæ est materia in Baptismo, minùs clarè ipsam significat ablutionem interiorem animæ à peccatis; clariùs id faciunt illa verba: *Ego te baptizo*, &c. quæ proinde rectè dicitur forma respectu illius ablutionis, eò quòd determinant quasi illius ablutionis significationem, vt non nisi ad illam interiorem absolutionem referatur. Sic in proposito, pœnitentis actus minùs distinctè (nempe proportione tantùm quadam, & ordinis analogia) significant effectum huius sacramenti, scilicet liberationem animi à peccatis, quatenus contritio peccatorum, & eorum confessio, & satisfactio pro illis eò nimirum pertinent, vt destruatur tandem, & penitus aboleatur peccatum. Verba autem illa Sacerdotis: *Absoluo te*, longè distinctiùs, & clariùs significant hanc abolitionem peccatorum. Est enim tantundem id dicere, ac si apertè diceretur, libero te à peccatis. Imò

quod

quod ad rem ipsam, & effectum pertinet, significantius id indicatur per illa verba: *Ego te absoluo*, eò quòd magis his verbis declaratur magnitudo beneficij, quod in peccatorem eâ ratione confertur, Nam significatur eum non vtcunque peccatis subiectum fuisse, sed ita illis constrictum, vt vinculis, à quibus sine singulari Dei gratia solui nequiuerit, iuxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Et: *Dissolue colligationes impietatis.* Cùm itaque verba illa Sacerdotis longè clariùs significent effectum huius sacramenti, quàm ipsi actus pœnitentis, atque adeò eiusmodi actuum significationem determinent, rectè dicuntur in hoc sacram. esse forma talium actuum, tanquam eiusdem sacramenti mysteriæ. Neque verò refert, quòd attinet quidem ad veritatem sacramenti, quibus verbis hanc ipsam sententiã significes, modò eam certè significes. Itaque rectè Caiet. hic, ar. 3. & Sotus dist. 14. qu. 1. art. 3. & alij concedunt, validum fore sacramentum, etiamsi Sacerdos dicat: Remitto tibi peccata; quia tantundem id significat. Et eo etiam verbo Christus ipse vsus est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quanquam conuenientiùs dicitur: *Ego te absoluo*, vt ex dictis patet, & declarat D. Thom. artic. 3. Item valeret sacramentum, si sacerdos diceret: Sacramentum absolutionis tibi impendo, vt docet D. Thom. hîc art. 3. ad vltimum; &

Prou. 5.
Isa. 58.
Ioan. 20.

& Caiet. ibid. & Sotus vbi sup. qui hoc rectè declarat. Significat enim, quod ad rem attinet, hoc tantundem. Esset tamen peccatum, his modis mutare verba formę: quamuis non ex genere suo mortale, vt rectè censet Sotus dist. 14. qu. 1. art. 3. Posset autem esse mortale ratione alicuius scandali, vt si putaret pœnitens, inquit Sotus, se non verè absolui.

Porrò de formâ Sacramenti Pœnitentiæ inter alias falsa est opinio circa significationē verborum, quæ potiùs error dici debet: & fuit Magistri Sent. in 4. dist. 18. nempe ministrum, cùm dicit: *Ego te absoluo*: non significare, quòd ipse reuerà absoluat à culpa, vel à pœna æterna; sed tantummodò, quòd ostendat, pœnitentem absolutū esse à Deo; ac proinde nunquam esse efficax ministerium hoc, nisi quando iam ante per contritionem perfectam pœnitens est absolutus à Deo, quia tunc solùm verè, & efficaciter absolutus ostenditur. Quod autē attinet ad pœnam temporalem peccato debitam post remissam culpam, & pœnam æternā, non negat Magister, quin sacerdos ipse aliquo modo eam remittat, imponendo nimirum cum auctoritate pœnitentiam, seu satisfactionem, per quam, vt à sacerdote impositam, remittitur plus pœnæ, quàm si illa vltrò fuisset suscepta.

Sed contraria sententia, scilicet reipsa à sacerdote remitti culpam, & pęnam ęternam ministerialiter, & tanquam ab instrumento Dei,

Dei, asseritur ab alijs Theologis communiter. Nec iam potest illa Magistri opinio defendi, cùm in Concilio Trident. sess. 14. c. 3. & sess. 6. definitum sit, sacerdotem non tantummodò declarare hominem esse absolutum à Deo.

Prob. autem hæc communis sententia contra Magistrum 1. ex script. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Absoluere enim, & remittere non est ostendere absolutum, sed reipsa id facere. Itaque propriè, vt sonant hæc loca, intelligi debent, cùm nullum inde sequatur absurdum, si quemadmodum oportet, intelligamus, ministrum id facere non nisi ministerialiter, vt Dei instrumentum.

Matt. 18
Ioan. 20

Prob. 2. Nam ita definitum est ab Ecclesia in Concilio Constantiensi sub finem, vbi Martinus V. pronunciat hæreticum, qui non credit sacerdotem verè absoluere, nimirum ab ipsis peccatis. Et in Concilio Florent. in Decreto vnion. cùm dicitur *absolutionem à peccatis esse effectum huius Sacram.* Effectus enim huius sacramenti vtique sacerdotis absoluentis est effectus. Et in Trident. sessio. 14. c. 3. & 6, vbi dicitur, *Absolutionem non esse solum nudum ministerium vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed esse ad instar actus iudicialis, quo à sacerdote, velut à Iudice, verè sententia pronunciatur.* Atque etiam à Pio V. & Grego-

Gregorio XIII. inter alias propositiones cuiusdam Doctoris Louaniensis damnantur ea, quæ ille aiebat, pœnitentem *non viuificari ministerio sacerdotis, sed à solo Deo.*

Prob. 3. Ex Patribus, qui hoc ipsum ex illis verbis Christi, *Quæcunque solueritis*, collegerunt. Vt Hilarius can. 16. in Matt. & Cyprianus lib. 1. epist. 2. ad Cornelium. Bernard. serm. 1. de Petro, & Paulo, qui dicunt, sententiam Sacerdotis absoluentis in terris precedere sententiam Dei absoluentis in cœlo; quatenus nimirum priùs naturâ instrumentũ attingit effectum, quàm causa principalis, vt hæc quidem per instrumentum agit, siue vt instrumentum est causæ principali ratio quædam, seu medium attingendi effectum; quãuis vicissim quoque causa principalis attingat effectum, priusquã instrumentum, quatenus hoc illum non attingit, nisi in virtute etiam causę principalis, vt instrumento vtentis. Secundum opinionem autem illam Magistri nullo modo absolutio sacerdotis esset prior, sed omnibus modis posterior absolutione, quæ fit in cœlo, quandoquidem consisteret solùm in ostendendo, & declarando, quòd absolutio in cœlis priùs sit facta. Item Chrysost. l. 3. de sacerd. affirmat, *ita verè remitti peccata à sacerdote, sicut remittuntur à Christo.* Idque colligit ex illo loco: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis, &c.* Et similia scribit Ambros. l. 1. de

de pœnit. c.2.& 7.& lib.2. c.2. August. l.2. de adult. coniug. c.9. & q.23. in Num. & in Psal. 101. conc.2. Hieron. epist. ad Edibiam, qu.9. Cyrill. l.12. in Ioan. c.55. sub finem. Leo epist. 91. aliàs 109. vbi affirmat, posse reipsa beneficium remissionis, & absolutionis impendi illis, qui petierunt, licet sui posteà impotes facti sint. Beda in c.5. Luc. Atque huc etiam pertinet, quod Patres affirmant, hoc sacramentum esse secundam tabulam post peccati naufragium, quia nimirum gratiam ipsam remissionis peccatorum confert non minùs, quã Baptismus, qui est prima tabula.

MORALE.

Cùm ingrederetur Iesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. *Luc. 17.*

Castellum est mundus, decem leprosi sunt peccatores decem mandatorum transgressionibus vitiosi. Considerandum autem, vnde lepra vitiorum contrahatur, & vnde sanetur. Contrahitur autem lepra animæ corde, ore, opere, consuetudine.

Corde: *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus, nuncians sacerdoti.* *Leuit. 14* Leprosa domus est cor in affectu, delectatione, consensu, & voluntate mala. Heu miseria! Non potest homo sustinere domum leprosorum in ciuitate sua, & sustinet cor leprosum in anima sua.

Ore: nam Maria, quæ Moysi, fratri suo, detraxerat percussa est lepra. *Num. 12* Sic etiam doctrinis hæreticis periurijs, detractionibus, menda-

cijs, & malis consilijs huiusmodi lepra contrahitur animarum. Vnde pręcipitur leprosis, quòd debeant habere os veste contectum, id est, consuetudine clausum. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.*

Leuit. 13 Ephes. 4.

Opere, scilicet cupiditatis. Vnde de Giezi accipiente pecuniam, & vestes à Naaman sanato dicitur: *Lepra Naaman adhærebit tibi.* Deinde opere præsumptionis, vel vsurpationis officij sacerdotalis. Vnde dicitur de Ozia Rege, quòd percussus est lepra, quia præsumpsit adolere incensum. Denique opere crudelitatis. Vnde Ioab, qui occidit Abner, dicitur: *Ne deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum.*

4. Reg. 5 2. Par. 26. 2. Reg. 3

Consuetudine etiam. Vnde præcipitur vestem leprosam igne comburi. Sicut vestis munda est consuetudo bona, ita vestis leprosa est consuetudo vitiosa, quæ debet igne cōburi. Vnde: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Talis vestis comburetur igne gehennæ. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustione.*

Leuit. 13 Mat. 22. Isa. 9.

Sanatur autem leprosa anima I. per baptismalem regenerationem, II. per pœnitentialem compunctionem. Quæ significantur in mundatione Naaman leprosi septies in Iordane loti. Per Iordanem enim non solùm Baptismus, sed etiam compunctionis, & lachrymarum torrens significari potest. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem: non*

4. Reg. 5 Thren. 2

non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Vnde benè Iordanis interpretatur riuus iudicij. Riuus enim lachrymosæ compunctionis oritur ex timore iudicij. Isidorus: Compunctio est humilitas mentis cum lachrymis exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Septies autem lauatur, qui pro singulis septem vitijs, lachrymarum imbribus irrigatur, iuxta illud: *Lauabo per singulas noctes*, id est, per singula peccata, *lectum meum*, id est, conscientiam meam. Psal. 6.

Sanatur 3. anima leprosa per veram confessionem. Vnde hîc dicitur: *Qui cùm irent ad Sacerdotem, sanati sunt*. Ire debet cum compunctione ad sacerdotem, ostendere illi peccata sua per confessionem, vt ita eorum inuenire possit remissionem. *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem.* Luc. 17. Leuit. 14

Sanatur 4. lepra per integram satisfactionem. Quod significatum est, quando Moyses è sinu suo manum protulit leprosam: secundo protulit mundam. Auarus manum in sinu habet ad conseruandam pecuniam congregatam: profertur autem manus ad accipiendam per rapinam, per vsuram, per furtum, & per quamcunque iniustam acquisitionem leprosa est. si verò proferatur secundo modo, scilicet ad restitutionem, ad largiendum in pios vsus, tunc efficitur munda. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Vnde benè præcipitur, vt leprosus mundandus offerat Exod. 4. Luc. 11. Leuit. 14

sextarium olei, id est, sex opera misericordiæ, de quibus: *Esurini, & dedistis mihi manducare.* Oleum enim significat misericordiam. Satisfactio autem non solùm est in eleemosynis, sed etiam orationibus. Ideò etiam ad mundandam lepram oratio valet. Vnde isti decem leprosi *leuauerunt vocem suam dicentes: Iesu, præceptor, miserere nostri.* Nec tantùm oratio valet propria, sed etiam aliena: vnde per orationem Moysis Maria mundata est.

Mat. 25.

Luc. 15.

Num. 12

DOMINICA XIV.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

DIXIT Elizæus ad Ioas Regem Israël: *Affer arcum, & sagittas. Cumq́ attulisset ad eum arcum, & sagittas, dixit ad Regem Israël: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, supposuit Elizeus manus suas manibus Regis. Et ait: Aperi fenestrā orientalem. Cumq́ aperuisset, dixit Elizeus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Elizeus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesq́ Syriam in Aphec, donec consumas eam.*

4. Reg. 13.

Arcus significat mentem humanam, quæ sagittas per fenestram orientalem iacit, quando orationes suas in cœlum dirigit. Dicitur autem

autem oratio sagitta salutis Domini, quia quidquid ad salutem conducit, illa à Deo impetrat. Manus autem voluntatem orantis significat: super quam manus Elizei ponitur, quando per gratiam illa solidatur.

EVANGELIVM: *Dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus Dominis seruire.* Mat. 6.

THEMA: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Occasione horum verborum videndum erit: Quid sit per orationem petendum? Generatim quidem statuere, quid à Deo petendum sit, non est adeò difficile. Quid autem in particularibus casibus expetere, & postulare expediat, id verò propter mentis nostræ tenebras, & infirmitatem naturæ, difficillimum est definire. Nam, vt ait Apostolus: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed spiritus postulat pro nobis* (id est, postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus:* atque ita *adiuuat infirmitatem nostram.* Rom. 8. Quamobrem Socrates propter huiusmodi incertitudinem humani consilij in expetendo, & precando, putabat non esse consultum, quidquam determinatè à Deo petere. De quo Valerius Maxim. l. 7. c. 2. vbi memorabilia dicta sapientum narrat, ita scribit: *Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestræ oraculum, nihil vltrà petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent; quia ij demum scirent, quid vnicuique esset vtile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impe-*

traſſe melius foret. Etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargis? Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt? Honores concupiſcis, qui complures peſſundederunt? Regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur? Splendidis coniugijs inijcis manus? at hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Deſine igitur ſtulta futuris malorũ tuorum cauſis, quaſi feliciſſimis rebus tuis inhiare, teque totum cæleſtium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima ſolent.

Cæterum hæc incertitudo rerum humanarum non obſtat, quò minùs determinatè quoque aliqua à Deo peti poſsint, & debeāt, vt à Chriſto Domino, diuinæ ſapientiæ cœleſti oraculo (non humanę terreſtri, vt Socrates) edocti ſumus in precandi eâ formâ, quam ſuis propoſuit. Itaque apud Orthodoxos duo ſunt de hâc re generatim certa, & extra controuerſiam; ex quibus etiam in particularibus caſibus, quid expediat petere, dignoſcere poſſumus cũ diuino Spiritus S. adiutorio, quod ad piè orandum requiritur, & nobis paratum eſt.

Matt. 6.

I. Certum eſt, licere à Deo determinatè petere ea, quæ ad ſalutem conducibilia eſſe conſtat. Cuiuſmodi ſunt ipſa inprimis beatitudo æterna, tanquam finis noſter vltimus: itemque media ad eum finem, tum superna-

turalia,

tūralia, tum temporalia, quatenus ad eum finem assequendum vtilia sunt. Hoc totum patet ex formâ illâ precandi, quam Dominus commendauit. In eâ enim formâ Dominus complexus est determinatè, quidquid piè á nobis peti potest, vel circa vltimum finem nostrum, vel circa media ad illum. Verissimè namque S. Augustin. epistol. 121. ad Probam, c. 12. *Si per omnia*, inquit, *sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies, quod non ista contineat, & concludat oratio.*

Sed hoc ipsum in specie breuiter explanandum est per explicationem eius precationis. Quam explicationem ex sententia Patrũ ita propono. Verba illa prima: *Pater noster, qui es in cœlis*, proœmium quoddam precationis continent. Eo commemoramus tum voluntatem Dei promptam ad benefaciendum nobis, vt qui noster est Pater; tum eiusdem ad id potestatem, cùm sit in cœlis, tum corporalibus, vt exponunt Cyprianus in orat. Domin. & Gregor. Nissenus homil. 2. de eadem, & alij; tum spiritualibus, id est, Sanctis, quos Deus inhabitat, vt exponunt Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4. August. l. 2. de serm. Domini in monte, c. 9. Neque hæc commemoratio eò pertinet, vt Deum sua sponte in nos benignissimum, & qui *prior dilexit nos*, ad exaudiendum, & benefaciēdum commoueamus, perinde ac si cum homine res ageretur cuius esset captanda priùs beneuolentia; sed vt in

Ibid.

1. Ioan. 4

nobis ipsi per considerationem voluntatis, & potestatis Dei ad benefaciendum, fiduciam impetrandi excitemus; ob cuius nimirum fiduciæ defectum sæpe fit, vt non exaudiamur.

Sequuntur petitiones septem, quarum duę priores pertinent ad ipsum finem vltimum nostrum; & perfectè quidem implentur in altera vita, sicut etiam tertia, vt ait August. in Enchrid. c. 115. Aliæ verò quinque pertinent ad media conducibilia ad eum finem, & spectant propriè ad huius vitæ necessitatem; vt de posterioribus quatuor illic August. ait.

Etenim per illa primæ petitionis verba: *Sanctificetur nomen tuum*, aliquid circa Deum ipsum, qui est noster vltimus finis, petimus: nimirum vt nomen, atque maiestas Dei non in se, (quod non est opus petere) sed in nobis sit sancta, per veram scilicet de Deo notitiam, & sanctum Dei amorem, quibus Deum agnoscamus, & colamus, vt exponunt Cyprianus, & Ambros. vbi supra Augustin. lib. 2. de serm. Domini, c. 10. Gregor. Nissenus homil. 3. de orat. Domin. & alij. Ita Moyses orabat ad Dominum: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuũ, gentem hanc.*

Exod. 33

Per illa autem verba secundæ petitionis: *Adueniat regnum tuum*, communicari nobis petimus regnum Dei, per beatitudinem scilicet,

cet, quâ fruemur ipso Deo, tanquam nostro vltimo fine. Nam, vt Augustin. in epist. 121. ad Probam ait: *Desiderium nostrum per hæc verba ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque in eo regnemus:* Non enim nostris viribus solis ad illud possumus peruenire. Vnde in persona iusti conqueritur Moyses: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro quâ iurasti patribus eorum?* Atque hæ quidem duæ petitiones pertinent ad vltimum ipsum finem. Ad media autem pertinet inprimis tertia illa petitio: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* In quibus verbis generatim petimus id omne, quod ad assequendam beatitudinem per se, & proximè conducit, videlicet vt obediamus voluntati Dei eo modo, quo per gratiam hîc possumus: sicut eidem suo etiam modo perfectè in cœlis obeditur, sicut exponit S. Augustin. vbi supra c. 11. & alij. Ita in lege veteri, cùm Moyses *assumens volumen fœderis, legit audiente populo;* illi dixerunt: *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.*

Num. 11

Exod. 24

Per illam autem quartam petitionem: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*, petimus generatim omne subsidium, tum spirituale, tum temporale, quod directè (tanquam piæ videlicet operationis adminiculum) sit nobis necessarium ad obtemperandum diuinæ vo-

luntati: ac peculiariter ipſum panem ſpiritualem Euchariſtiæ, vt patet ex interpretatione Cypriani, & Ambroſij vbi ſupra, & Auguſt. in illo 2. l. c. 12. & S. Hieronym. in c. 6. Matth. qui ex Hebræo idiomate obſeruauit legendũ eſſe, panem noſtrum ſuperſubſtantialem, propter 70. interpretes, qui περιὐσιον (id eſt, ſuperſubſtantialem) ex Hebræis verterunt: quod Græcum verbum affirmat Hieronym. vbique poſuiſſe 70. pro verbo Hebraico, Segula, quod ſignificat ſuperſubſtantialem. Et concordat cùm vocabulo illo à 70. vſurpato, quod eſt in editione Græca ἐπιὐσιον, quod tantundem ſignificat, atque περιὐσιον. Sed ſiue dicatur quotidianum, vt ante Hieronymum legerunt Latini, ſiue ſuperſubſtantialẽ, nihil intereſt, quod ad ſenſum attinet: nam etiam pane ſpirituali, & ſuperſubſtantiali aſſiduè, & quaſi quotidiè indigemus. Ita cùm filij Iſraël murmurarent in deſerto ob inopiã cibi, dixit Dominus ad Moyſen: *Ecce ego pluã vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt tentem eum, vtrũ ambulet in lege mea, an non.*

Exod. 16

Per quintam verò petitionem: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, petimus aliud quoddam remedium per accidens conducens ad aſſecutionem beatitudinis; vt ſcilicet per peccatorum remiſsionẽ amoueatur à nobis malum culpæ obſtans conſecutioni beatitudinis, in quam nihil

coin-

coinquinatum intrabit. Vt enim ait S. Augu. l. 2. de ſermon. Domini in monte, c. 13. debita hoc loco peccata dici, manifeſtum eſt ex eo, quod ait idem Dominus: *Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quod idem probat Cyprian. ex illis verbis Domini: *Omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me.* Et additur: *Sicut & nos dimittimus. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Itaque vt idem Auguſt. ait: *Tunc conuincimur contra hanc regulam feciſſe, ſi eis non dimittimus, qui veniam petunt, quia & nobis veniam petentibus à benigniſſimo Patre dimitti volumus.*

Matt. 5.

Matt. 18.

Matt. 6.

Per ſextam autem illam petitionem: *Et ne nos inducas in tentationem*, ſimiliter petimus medium aliud ad beatitudinem, quod per accidens ad eam aſſequendam iuuat: nempe vt malum tentationis, quæ ad peccatum impellendo obſtat conſecutioni beatitudinis, amoueat Deus à nobis, tum prouidendo, ne impetamur quibuſdã periculoſis tentationibus, aut maioribus, quàm vt facilè eas ſuperare poſsimus, iuxta expoſitionem S. Cypriani, vbi ſupra, qui hinc dicit *Oſtendi, nihil contra nos aduerſarium poſſe, niſi Deus antè præmiſerit:* tum etiam nobis opem ferendo, ne à tẽtationibus vincamur, vt exponit S. Auguſtin. vbi ſupra c. 14. Dixi autem, periculoſis quibuſdam, & maioribus tentationibus: nam & S. Auguſt.

illic

illic verissimè ait: *Sine tentatione probatus esse nullus potest.* Itaque vt infrà idem ait, *Non hîc oratur, vt non tentemur vllo modo, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tẽtatio tribulationis.* Et: *Ioseph tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est, neque ipsa inducta, vel illata in tentationem. Multique alij vtriusque sexus.* Sic Augustinus.

Eccli. 27

Denique per illam vltimam petitionem: *Sed libera nos à malo*, aliud etiam quiddam petimus, quod per accidens ad assequendam beatitudinem confert; vt scilicet à malo quoque liberemur earum aduersitatum, & ęrumnarum, quarum occasione per impatientiam, aut aliter, videamur abusuri ad peccandum; vel certè vt aduersus illarum impetum diuina ope muniamur: comprehendentes nimirum huius petitionis verbis, vt ait Cyprianus, vbi suprà, *Aduersa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: à quibus potest esse firma, & fida tutela, si Deus nos liberet, si deprecantibus, atque implorantibus opem suam præstet.* Atque hoc ipso etiam per hæc verba petimus liberari ab ipso nostro malo inimico, id est, à dæmone. Nam sic etiam verbum illud, *A malo*, in hâc petitione interpretatus est non malè S. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4. Ita *tentauit Deus Abraham*, dicens: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis*,

Gen. 22.

gis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.

Has autem omnes petitiones concludit tanquam epilogus verbum illud, *Amen*, quod tantundem valet, ac si diceremus, fideliter, vt interpretatur S. Hieronym. in c. 6. Matth. vel, verè, vt Hieronym. teste interpretatus est Aquila: vel, fiat, vt interpretatus est Ambros. in Psalm. 40. super illa verba, *Fiat, fiat*: vbi in Hebraico est, Amen, Amen. Quæ omnia eodẽ ferè quoad sensum reincidunt. Itaque hoc verbo in fine istius precationis (sicut in initio feceramus illis verbis, *Pater noster*) rursus nostram impetrandi fiduciam excitamus, & protestamur. Neque est genuina, sed ab aliquo addita textui Græco illa sententia, quæ ante vocem, *Amen*, post prædictas petitiones apud Chrysostom. etiam homil. 20. in Matth. legitur: *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum*. Nam neque Tertull. in lib. de Oratione, neque Cyprian. vbi supra neque Gregor. Nissen. homil. de eadem oratione, neque alij veteres horum verborum meminerunt. Vnde & apud Græcos hodiè à solis Sacerdotibus ea verba proferri esse solita in Missa perhibentur, postquam à Choro est illis responsum: *Sed libera nos à malo, Amen.*

Ps. 40.

Secundò certum est, hoc esse discrimen inter ea, quæ possunt determinatè peti: quòd bea-

beatitudo, & virtutes absolutè possint peti, quia non possumus illis malè vti; bona verò temporalia, quia contingit illis malè vti, inprimis non sunt petenda, vt finem vltimum in illis ponamus, neque absolutè, sed sub conditione, si conducant ad beatitudinem, vt instrumenta virtutum. Et quidem quòd beatitudinem, & virtutes possimus petere absolutè, patet exemplo Dauid: *Ostende faciem tuam, & salui erimus*. Et: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*. Quòd autem bona temporalia non liceat petere, nisi sub conditione (vel expressa nimirum, vel tacita) in ordine ad beatitudinem, patet: quia sic tantùm licet ea optare. Vt autem ait August. epist. 121. ad Probam: *Illud tantùm licet petere orando, quod licet optare.*

Ps. 109.
Ps. 118.

MORALE.

Nemo potest duobus Dominis seruire.

Matt. 6.

Quatuor sunt necessaria ad salutem, quæ tamen nemo potest habere, nisi eo modo, quo scriptum est: Nemo potest Deum cognoscere credendo, nisi per reuelationem. Nemo potest ad Deum venire pœnitendo, nisi per attractionem. Nemo potest Deo seruire benè viuendo, nisi per temporalium repudiationem. Nemo potest ad Deum ascendere euolando, nisi per vnionem.

De primò: *Nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit reuelare:* sicut nemo vidit solem, nisi per lumen,

Matt. 11

&

& ipſum lumen nemo vidit, niſi per ipſum lumen: ſic nemo noſcit Patrem, niſi per filiũ, qui eſt lumen reuelans. *Lumen ad reuelationem gentium.* Hoc lumen ille Simeon non ſolùm vidit, ſed etiam in manibus accepit. Radius enim luminis huius per ventum tentationis citò in nobis extinguitur, niſi manibus bonorum operum circumfoueatur. *In manibus abſcondit lucem, & præcepit ei, vt rurſus adueniat.* Sicut autem Sol per lumen ſuum omnibus æqualiter adeſt, non tamen æqualiter reuelat clauſis, & apertis, lippis, & claris oculis: ſic ſe habet reuelatio luminis ęterni ad viſum fidei. Auguſtinus: Deus omnibus æqualiter adeſt: ille autem plus habet loci, qui plus attulerit non argenti, ſed fidei.

Luc. 2.

Iob 36.

Dè ſecundò: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Nemo poteſt venire: ſæpe nemo permittitur à dæmoniacis, & peruerſis hominibus alios à bono trahentibus. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam:* ſcilicet pœnitentię, in qua venit filius prodigus, filius famelicus ad Patrem, gratiarum abundãtem. Vt autem homo veniat ad eum, oportet ipſum trahi per funem gratiæ. Quòd ſi non traheris à Deo in cœlum, traheris à diabolo in infernum. *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.*

Ioan. 6.

Matt. 8.

Apo. 12.

De tertiò: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* O quàm diſsimiles ſunt duo illi Domini,

Matt. 6.

Deus,

Deus,& diabolus. Primus enim est suauissimus: *Suauis Dominus vniuersis.* Secundus autem crudelissimus: *Tradam AEgyptum in manus dominorum crudelium.* Alter remunerat seruos suos cum corona: alter cum gehenna. Istis ergò dominis nemo potest simul seruire: sicut nemo potest flere, & ridere, vigilare, & dormire, ascendere, & descendere. Deo seruitur flendo per pœnitentiam: diabolo ridendo per lasciuiam. *Plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit.* Si quis enim compungitur, hunc fletum quærit, hunc risum fugit. Ioannes Chrysostom. Sola enim compunctio, quę facit ipsam animam horrescere purpuram, desiderare silentium, amare lachrymas, fugere risum.

Ps. 144. Isa. 19. Ioan. 16.

Item, Deo seruitur vigilando in custodia contra diabolum: diabolo autem seruitur dormiendo in negligentia contra Deum. *Non dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrij simus.*

1. Thes. 5

Item, Deo seruitur ascendendo de virtute in virtutem vsque in cœlum: diabolo autem descendo de vitio in vitium vsque ad infernum. *Ascendunt montes, & descendunt campi.* Et illi quidem ascendunt vsque ad cœlos: isti autem descendunt vsque ad abyssos. Cùm ergò nemo posit duobus dominis seruire, repudiemus alterum, scilicet diabolum, vt soli DEO seruiamus. *Præparate corda vestra, & seruite illi soli.*

Ps. 103. 1. Reg. 7

De

De quarto: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* O Domine, quid erit de nobis miseris? Vbi ergò Petrus? Vbi Ioannes? B. vbi Maria? Sed nullus desperet: quò enim caput iuit, membra sequuntur; & cum Christo etiam ascendunt, qui per fidem, & amorẽ illi, tanquã membra capiti vniuntur. Ecclesia etiam est vestis Christi, quæ in monte cœlesti est cum eo transfiguranda per gloriam. *Vestitus eius albus, & refulgens.* Qui ergò cum Christo cœlos vult ascendere, debet hîc in terris virtutis albedine nitere.

Ioan. 3.

Luc. 9.

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

CVm Saul impetrasset à muliere pythonem habente, vt suscitaret Samuelem, illa ait: *Deos vidi ascendentes de terra.* Dixitque ei: *Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.*

1. Reg. 28.

MORALITER: Figura est futuræ resurrectionis: & qualis homo in vitâ fuit presenti, talis erit in futurâ. Si senex fuerit sapiẽtia, resurget in illa; si virtutum amictus pallio

vixerit, eodem vestitus resurget. Et idem designat adolescens Euangelicus, qui in adolescentia bonorum operum fuit mortuus, & in eadem resuscitatus.

Luc. 7. EVANGELIVM: *Ibat Iesus in ciuitatem: quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.*

THEMA: *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.*

Christum Prophetam fuisse, dubitari non potest, cùm id affirmet Script. *Ait Dominus mihi*, inquit Moyses; *Benè omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Hunc autem Prophetam fuisse Christum, testatur D. Petrus: *Moyses*, ait, *quidem dixit: quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus, &c. & omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos.* Imò ipse Dominus hoc ipsum indicauit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Vt alia multa prætercam.

Deut. 18. — Act. 3. — Ioan. 5.

Sed cùm Prophetæ in sacris litteris diuersis rationibus dicti sint, quæstio est: Quânam ratione fuerit Christus Propheta?

I. Enim Prophetæ dicuntur propriè ij, qui diuini-

diuinitus intelligunt, & effantur ea quæ procul sunt à cognitione hominum eiusdem cōditionis, vt describit D. August. lib. 16. contra Faust. c. 18. Gregor. homil. 1. in Ezech. & D. Thom. p. 3. quæst. 7. ar. 8. qui & in Script. dicuntur Videntes. Per analogiam autem ad hunc modum alij etiam dicuntur Prophetæ, qui aliqua ratione diuinitus inspirati, & adiuti tractant, & eloquuntur diuina. Ita *olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum, Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim Videns.* 1. Reg. 9

II. Appellati sunt Prophetæ in Scriptura ij, qui laudes Domini decantabant, scribebantque Psalmos. Ita *cuneus Prophetarum venit obuius Sauli, & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiustertius, quod esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter Prophetas?* Item: *Dauid, & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio seruientes.* Erant autem per id munus non propriè Prophetæ iuxta modum primum, tametsi aliqui eorum eo quoque modo primo fuerint Prophetę; vt David. Quò fit, vt Christus etiam distinxerit inter *Prophetas*, & *Psalmos*. 1. Reg. 10. 1. Par. 25. Luc. 24.

III. Modo appellantur Prophetæ ij, qui

dictante prorsus Spiritu Sācto, ſcribūt libros Canonicos, etiam de rebus alioqui notis. Sic Hieronym. in prologo galeato libros Ioſue, & Ruth appellat etiam Prophetales, licet hiſtorici ſint, de rebus alioqui, quæ temporibus illis erant omnibus notæ. Sic etiam D. Petrus ſacram Script. vniuersè vocat *Propheticū ſermonem.* 2. Pet. 1.

IV. Cenſentur etiam, & appellantur Prophetæ ab Apoſtolo, cum aliàs, tum epiſt. 1. ad Cor. (interprete Ambroſio ibi, & Gregor. l. 1. Regiſt. c. 24.) qui interpretantur diuina myſteria, & Euangelium annunciant. *Si quis,* ait, *videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.* 1. Cor. 14

Iam igitur, cùm conſtet, Chriſtum hoc quarto modo præſtantiſsimum fuiſſe Prophetam: nam ambulans cum diſcipulis euntibus in Emaus, *incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Conſtat etiam 2. & 3. modo potuiſſe eſſe Prophetam, licet non fuerit. Controuerſia tantum eſt de primo modo, An iuxta illum quoque fuerit propriè Propheta? Eſt autem quęſtio tota de nomine: nā quoad rem conuenit inter Doctores de duobus. Luc. 24.

Primò, Chriſtum ea, quæ procul fuerunt à cognitione hominum ſuæ conditionis, ſcilicet viatorum, cognouiſſe, & dixiſſe; vt futura contingentia, & cogitationes cordium.

Secundò, ea nō cognouiſſe ipſum obſcurè, ſed

ſed prorſus euidenter, per ſcientiam nimirum beatam, & infuſam. Quibus duobus poſitis, quæſtio eſt tantùm de nomine: an propter primum concedi propriè debeat, Chriſtum fuiſſe Prophetam; an verò propter ſecundum negari.

Et ſunt, qui negant, vt Abulenſ. qu. 64. in c. 11. Num. quoniam exiſtimat, ad modum illum proprium prophetiæ pertinere, vt occulta cognoſcantur notitia ineuidenti & obſcura. Quod videtur ex Apoſtolo confirmari poſſe, qui propterea futurum eſſe dicit, vt in beatitudine (per cognitionem ſcilicet claram) *euacuentur Prophetiæ.* 1. Cor. 13

Sed contraria ſententia D. Thomæ qu. 7. art. 8. ad 1. & Caietan. ibid. & aliorum, eſt verior: quoniam non eſt de ratione Prophetæ iuxta illam nominis acceptionem propriam, cognitio obſcura ex parte ipſius cognitionis; ſed tantum ex parte conditionis ipſius cognoſcentis, vt ex D. Thoma notat illic Caietanus. Satis enim eſt, vt cognoſcatur aliquid, quod ſit occultum, & obſcurum, ſpectata cõditione, & ſtatu ipſius Prophetæ cognoſcentis; quodque adeò ignorent alij eiuſdem conditionis, ſiue illud ſit præſens, ſiue præteritũ, ſiue futurum.

Ad argumentum autem contrariæ ſententiæ reſpond. Apoſtolum de Prophetiæ dono illic loqui iuxta modum, quo in alijs hominibus communiter eſſe ſolet, ſcilicet obſcurè, &

dictante prorsus Spiritu Sácto, scribũt libros Canonicos, etiam de rebus alioqui notis. Sic Hieronym. in prologo galeato libros Iosue, & Ruth appellat etiam Prophetales, licet historici sint, de rebus alioqui, quæ temporibus illis erant omnibus notæ. Sic etiam D. Petrus sacram Script. vniuersè vocat *Propheticũ sermonem.* 2.Pet.1.

IV. Censentur etiam, & appellantur Prophetæ ab Apostolo, cum aliàs, tum epist.1. ad Cor. (interprete Ambrosio ibi, & Gregor.l. 1. Regist. c. 24.) qui interpretantur diuina mysteria, & Euangelium annunciant. *Si quis,* ait, *videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* 1.Cor.14

Iam igitur, cùm constet, Christum hoc quarto modo præstantissimum fuisse Prophetam: nam ambulans cum discipulis euntibus in Emaus, *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Constat etiam 2. & 3. modo potuisse esse Prophetam, licet non fuerit. Controuersia tantum est de primo modo, An iuxta illum quoque fuerit propriè Propheta? Est autem quęstio tota de nomine: nã quoad rem conuenit inter Doctores de duobus. Luc. 24.

Primò, Christum ea, quæ procul fuerunt à cognitione hominum suæ conditionis, scilicet viatorum, cognouisse, & dixisse; vt futura contingentia, & cogitationes cordium.

Secundò, ea nõ cognouisse ipsum obscurè, sed

ſed prorſus euidenter, per ſcientiam nimirum beatam, & infuſam. Quibus duobus poſitis, quæſtio eſt tantùm de nomine: an propter primum concedi propriè debeat, Chriſtum fuiſſe Prophetam; an verò propter ſecundum negari.

Et ſunt, qui negant, vt Abulenſ. qu.64. in c.11. Num. quoniam exiſtimat, ad modum illum proprium prophetiæ pertinere, vt occulta cognoſcantur notitia ineuidenti & obſcura. Quod videtur ex Apoſtolo confirmari poſſe, qui propterea futurum eſſe dicit, vt in beatitudine (per cognitionem ſcilicet claram) *euacuentur Prophetiæ.*

1. Cor. 13

Sed contraria ſententia D. Thomæ qu.7. art.8. ad 1. & Caietan. ibid. & aliorum, eſt verior: quoniam non eſt de ratione Prophetæ iuxta illam nominis acceptionem propriam, cognitio obſcura ex parte ipſius cognitionis; ſed tantum ex parte conditionis ipſius cognoſcentis, vt ex D. Thoma notat illic Caietanus. Satis enim eſt, vt cognoſcatur aliquid, quod ſit occultum, & obſcurum, ſpectata cõditione, & ſtatu ipſius Prophetæ cognoſcentis; quodque adeò ignorent alij eiuſdem conditionis, ſiue illud ſit præſens, ſiue præteritũ, ſiue futurum.

Ad argumentum autem contrariæ ſententiæ reſpond. Apoſtolum de Prophetiæ dono illic loqui iuxta modum, quo in alijs hominibus communiter eſſe ſolet, ſcilicet obſcurè, &

 ineui-

ineuidenter: non vult autem id pertinere ad essentiam ipsam Prophetiæ.

Porrò eiusmodi dono Christum vsum fuisse, ex Euangelio passim apparet. Sæpe enim cogitationes hominum intimas vidit, & ad eas sermonem mirabiliter accommodauit. Multa etiam prædixit futura, quæ iam videmus impleta: vt excidium vrbis Ierosolymitanæ: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Perfidiam hæreticorum: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Conuersionem Gentium: *In omnes Gentes primùm oportet prædicari Euangelium.* Negationem Petri: *Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Iudę proditionem: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Apostolorum martyriũ: *Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.* Quarum rerum euentus cõfirmat fidem nostram de alijs, quæ similiter ab ipso prædicta, nondũ impleta sunt: vt de die iudicij, de persecutione Antichristi.

Luc. 19. Matt. 7. Marc. 13 Matt. 26 Ibid. Matt. 10

MORALE.

Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ.

Luc. 7.

Sicut defunctus efferebatur corporaliter, sic

sic per inimicos, per dæmones, & malos consiliarios, & per quoslibet ad peccatum instigantes peccator effertur spiritualiter. Effertur, inquam, de mala voluntate ad malam actionem, de mala actione ad consuetudinẽ, de vitio ad vitium. Considerandum autem, quòd homines efferuntur in transgressione mortali, in conuersione pœnitentiali, in resolutione corporali, in resurrectione generali.

I. Modo efferuntur de gratia in culpam, de bono statu in malum, de templo gratiæ ad regnum spiritualis Babyloniæ. *Vasa templi Dei aurea*, id est, perfectos homines, *& argentea*, id est, imperfectos, *tulit Nabuchodonosor de templo Ierusalem, & attulit ea in Babylonem*. Et sicut raptores, & fures libentius efferunt aurea, quàm argentea, vel lignea vasa: sic & diabolus per se, vel per alios homines trahit ad peccatum libentius chariora Ecclesiæ membra. Vnde & hic filius vnicus efferebatur: vnicus enim est charissimus. Sed certè ad malum opus non effertur, nisi qui priùs in voluntate moritur. In voluntate enim mors animæ ponitur: morere, si vis; viue, si vis. Augustinus: Deus amissus, mors animæ: anima amissa, mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animę voluntaria. Homo igitur moritur in mala volũtate, effertur in peccati perpetratione, sepelitur in consuetudine. Hæc significata sunt in tribus mortuis à Christo resuscitatis.

1. Esd. 6.

Luc. 7.

II. Modo efferuntur homines de culpa ad gratiam, de malo ſtatu ad bonum, de mundo ad religionem. Effertur autem per rectores, per Doctores, per orationes bonorum. *Ipſum verò vitulum efferet extra caſtra, atque comburet.* Vitulus eſt quilibet per martyrium, vel per pœnitentiam Deo immolatus in altari fidei. Pſalmus: *Imponent ſuper altare tuum vitulos.* Qui extra caſtra efferuntur, quando de mũdi malitia, atque malorum ſocietatę vitiorum ſeparantur: ab his enim turbis, & caſtris debet ſeparari, qui Dominum perfectè deſiderat contemplari. *Quærebat videre Ieſum, & non poterat præ turba.* Fuge ergò turbã. Caſsiodorus: Turba vitiorum ſine crimine vincitur, quando ſolicitudo gratiæ ſuffragatur. Efferri autẽ debet, vt comburatur igne contritionis, vel amoris, de quo ſcriptum eſt: *Totus mons Sinai fumigabat,* mens ſcilicet fidelium per contritionem, *eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne,* videlicet heli, vel amoris. Bernardus: Tunc ſcit anima, quòd iuxta eſt Deus, cũ ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam.

Leuit. 4. Pſal. 50. Luc. 19. Exod. 19

De III. *Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium, & efferent te.* Notent hiſtoriam hanc, & timeant, qui aliena vſurpãt, ſi ſic ſubitanea morte pereunt, qui propria occultant. In reſolutione autem corporali effertur corpus ad ſepulchrum, mala anima ad infernum. *Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* Qui demiſſo ad terram

Act. 5. Iſa. 22.

capite,

capite, & ligatis pedibus ad forum portatur. Item, anima iusti ad cœlum portatur. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ioannes Chrysost. Non sufficit pauperi vnus Angelus ad portandum, sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Homines igitur ad sepulchrum, dæmones ad infernum, Angeli ad cœlum efferũt suos charos. Luc. 16.

De IV. *Si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa.* Per viros decem boni significantur, qui quinque sensibus benè vtuntur; & mali, qui quinque sensibus subnigrantur: qui in domo Ecclesiæ moriuntur, vel numero, vel merito. Propinquus autem malorum est diabolus, qui tollet eos ad comburendum perpetuò: propinquus bonorum est Angelus, cuius ministerio ossa, & cineres in resurrectione colligentur, & efferentur de domo sepulchri. Vel propinquus est Christus, de quo: *Non attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra causas illorũ.* Iste propinquus est Christus, qui spiritũ contrahit in gehennam, vel in purgatorio, & ossa effert de sepulchro; quia eius auctoritate & spiritus punitur, & corpus resuscitatur. Amos 6. Prou. 23

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

SAluator noster Iesus Christus volens nos ab ambitione, & superbia abstrahere, in hodierno Euangelio, salutaria dat præcepta. Comparatur enim homo ambitiosus luctatori incanto. Nam si in lucta vnus luctatorũ possit leuare pedem alterius, deijcit ipsum. Ita si dæmon luctando cum homine, possit leuare pedem eius, id est, affectionem hominis per superbiam, deijcit eum in damnationem æternam. Vnde dicitur: *Deiecisti eos, dum alleuarentur.*

Psal. 72.

Luc. 14.

EVANGELIVM: *Cùm intrasset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

THEMA: *Qui se exaltat, humiliabitur.*

Occasione horum verborum de vitijs magnanimitati oppositis agendum erit. Opponuntur autem magnanimitati tria vitia per excessum, Præsumptio, Ambitio, & Inanis gloria. Præsumptio respicit propriè opus aliquod: Ambitio honorem: Inanis gloria opinionem, & famam. Vnum per defectum, scilicet Pusillanimitas, quæ tamen illis tribus respondet.

Præ

Præſumptio, quam etiam præſidentiam Latini vocant, eſt nimia ſuarum virium confidentia, qua fit, quis aggrediatur aliquid, vel ſit paratus aggredi, quod eſt ſupra vires. Vires ipſius intellige, quas vel in ſeipſo, vel in alijs paratas habet. Quod enim per amicos poſſumus, nos ipſi poſſe dicimur. Conſiſtunt enim vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infuſa, aut acquiſita, vel in arte aliqua, vel in gratia gratis data, vel in poteſtate ordinis, vel in poteſtate iuriſdictionis: nam ratione horũ omnium ſi quis aliquid ſupra ſuam facultatẽ tentet, erit vitium præſumptionis; vt patet ex Caiet. ver. Præſumptio, in Summa. Ita præſumptuoſi erant, qui dicebant: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Gen. 11.

Hoc vitium in intellectu ſupponit opinionem falſam de ſuis viribus ex culpabili ignorantia, vel inconſideratione ortam. Ita, cùm Amaſias Rex Iuda percuſsiſſet Edom, prouocauit ad bellum etiam Ioas Regem Iſraël dicens: *Veni, & videamus nos.* Sed falſam de ſe habuiſſe opinionem, patet ex reſponſione Ioas dicentis: *Percutiens inualuiſti ſuper Edom, & ſubleuauit te cor tuum: contentus eſto gloria, & ſede in domo tua: quare prouocas malum tu, & Iudas tecum?* Si autem hæc ignorantia non eſſet culpabilis, neque opinio inde naſcens, neque affectus voluntatis conſequens eſſet culpabilis; 4. Reg. 14.

lis; vt cùm quis bona fide ignorans conditionem rei aliquid supra suam facultatem tẽtat. In voluntate verò requirit affectum, vel absolutè exequendi tale opus; vel sub conditione, si nimirum res ad se pertineret, si tempus, & locus posceret, &c.

Hoc modo præsumptuosi, & præfidentes censendi hæretici, qui scripturas audent exponere non prçuio longo studio, vel Sanctorum Patrum lectione: qui tentant miracula, vel futurorum prædictionem, absque dono miraculorum, vel prophetiæ: qui solis naturæ viribus putant se posse benè viuere, & legem implere. Item qui absque debita peritia suscipiunt officium Medici, Aduocati, Parochi, Confessoris, &c. qui vsurpant sibi potestatẽ, quam non habent, vel maiorem, quàm habent; vt si Diaconus vellet offerre sacrificium, absoluere, baptizare coram sacerdote; si iudex secularis de causis Ecclesiasticis cognosceret. Ita præsumptuosus fuit Ieroboam, quãdo *ascendit super altare, quod extruxerat in Bethel, & fecit solennitatem filijs Israël, & ascendit super altare, vt adoleret incensum.* Meritò sanè, cum manum extenderet, illa exaruit in pœnã præsumptionis.

3. Reg. 12.

3. Reg. 13.

Est autem prçsumptio peccatum mortiferum, quando fit cum periculo, vel iniuria alterius; sicut præsumptio medici, iudicis, confessoris: vel quando prouenit ex errore contra fidem; sicut præsumptio hæreticorum in

multis

multis actibus. Extra tales euentus ferè est peccatum veniale.

Ambitio est inordinatus appetitus honoris. Honor autem est testimonium excellentiæ; quod multis modis deferri potest, vt detectione capitis, inclinatione corporis, genuflexione, concessione honoratioris loci, erectione statuæ, delatione officij, magistratus, &c. Hos omnes modos respicit Ambitio. Qui enim aliquid horum sibi inordinatè appetit deferri, est ambitiosus.

Potest autem honor tripliciter inordinatè appeti.

1. Si appetas honorem ob eam rem, quæ tibi non conuenit; vel notabiliter maiorem, quàm par sit: vt si quis velit honorari ob gradum, vel doctrinam, quam non habet; si laicus velit præcedere Episcopum; si aspires ad officium honorabile, quo es indignus; aut velis præferri multò dignioribus; si ratione diuitiarum velis tibi magnum honorem haberi. Ita *Adonias filius Haggith eleuabatur dicens: Ego regnabo. Fecitq; sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* 3. Reg. 1.

2. Si quæras honorem ex re, quæ tibi conuenit, sed illicita, v.g. ex rebellione, quòd audeas resistere tuo Principi, ex arte magica, &c. Ita Absalon rebellauit Patri suo, quando *surrexit, & abijt in Hebron.* Tunc *misit exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: Statim, vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnauit Absalon* 2. Reg. 15.

ſalon in Hebron.

3. Si ita ames honorem, vt paratus ſis Deum offendere cauſa illius acquirendi, vel conſeruandi: vt ſi Epiſcopatum compares per ſimoniã, principatum per bella iniqua; ſi, vt officium retineas, iniquum pręſtes iuſiurandum. Ita cùm *ſolus Mardochæus nõ flecteret genu Aman, neque adoraret eum, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas: magiſque voluit omnem Iudæorũ, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem.*

Eſt. 3.

In 1. eſt peccatum veniale tantum, niſi appetatur cum iniuria alterius.

In 2. eſt peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, ex qua quis honorem captat.

In 3. ſimiliter pro ratione mediorum, quibus vtitur, vel paratus eſt vti.

Reprehenditur hoc vitium à Domino: *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi.* Et: *Noli quærere ab homine ducatum, nec à Rege cathedram honoris.*

Mat. 23.

Eccli. 7.

Oritur hoc vitium ex ſuperbia. Sicut enim ſuperbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ; ita ambitio eſt inordinatus appetitus honoris, qui eſt teſtimonium excellentiæ. Vnde omnes ambitioſi ſunt ſuperbi, & omnes ſuperbi ambitioſi. Habet enim ſe ad ſuperbiã vt propria paſsio, vel vt effectus adæquatus.

Si

Si autem honor appetatur moderatè ex re bona, nullum erit peccatum, etiamsi nullus alius finis spectetur, quia per se est obiectum indifferens, proximè accedens ad rationem honesti, cum testimonium, & imago quædã virtutis.

Inanis gloria, quam vulgò κενοδοξίαν vocant, hoc loco accipitur pro vanæ gloriæ cupiditate: alioqui propriè ipsa non est peccatum, sed peccati obiectum in alio existens. *Gloria est clara cum laude notitia*, inquit Cicero, puta de excellentia alicuius. Itaque complectitur opinionem, & laudem, & consequenter famam, quia bona fama in laude consistit: supponit autem excellentiam veram his dignã, tanquam materiam, & obiectum opinionis, & famæ. Vnde patet gloriam ab honore distingui, & consequenter ambitionem à cenodoxia, seu vanæ gloriæ cupiditate. Gloria enim in notitia excellentiæ alterius, & laude, quæ verbis agitur, sita est. Honor verò in dignitatibus, & magistratibus, alijsque testimonijs excellentiæ, quę signis exhibentur. Quãdo tamen vana gloria statuitur vitium capitale, etiam ambitio hoc nomine intelligenda est.

Potest autem gloria tripliciter esse vana in proposito.

1. Si simulata excellentia quæratur opinio, vel fama; sicut faciunt hypocritæ, & omnes qui se peritos fingunt alicuius disciplinę, cùm non

non sint. Ita *Sedecbias filius Chanaam, fecit sibi cornua ferrea, dicens: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Fingebat nempe se prophetiæ spiritum habere, sed falsò prophetabat.

3. Reg. 22.

2. Si maior quæratur gloria, quàm par sit, aut de rebus aliàs indignis; sicut faciunt iactabundi, & omnes, qui de opibus, & rebus friuolis gloriantur. Ita, cùm Nabuchodonosor Rex Assyriorum vicisset Arphaxad, Regem Medorũ, *exaltatum est regnum eius, & cor eius eleuatum est, & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, & ad gentes, quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, & omnes, qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vsque ad Ierusalem, & ad omnem terram Iesse, quousque perueniatur ad terminos AEthiopiæ.*

Iudit. 1.

3. Si apud eos, qui de rebus non possunt rectè iudicare: sicut si quis coram imperitis disputaret, vt sapiens ab eis habeatur; nisi fortè id ad vlteriorem finem honestum referret. Ita *Antiochus mille, & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.*

2. Mac. 5

Erit autem hæc cupiditas peccatum mortale.

1. Si hæc vana gloria appetatur ex facto, quod est peccatum mortale, vt de magiâ, de adulterio, de duello, de homicidio; nam talis glo-

gloriatio includit facti approbationem. Ita in Actis legitur de puella spiritum phytonem habente, *quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando.* Si tamen non de ipso facto, sed de robore corporis, audacia, ingenio, quæ tali facto patefiunt gloria quæreretur, non esset per se peccatum mortale, quia cum eo stare potest facti praui detestatio.

Act. 16

2. Si ob illam acquirendam, vel retinẽdam negligat ea, quæ ad salutem sunt necessaria; vel aliter paratus sit mortiferè peccare: quales erant multi ex primoribus Iudæorum, de quibus: *Dilexerunt magis gloriam hominis, quàm gloriam Dei.* Et: *Quomodò potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?*

Ioan. 12

Ioan. 5

Extra hos casus solùm est veniale, vt docet Caietanus ver. Gloriæ humanę appetit. nam per se veniale est: neque fit mortale, nisi ratione alterius peccati, quod interdum in affectu vanę glorię inuoluitur.

Pusillanimitas, quã Aristoteles μικροψυχίαν vocat, est alterum extremum magnanimitati directè oppositum. Hoc vitium supponit apprehensionem, qua quis omnia tanquam nimis magna, & suam facultatem, vel dignitatem excedentia concipit: vnde fit, vt diffidens viribus suis refugiat officia, ad quæ probè est idoneus, & detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ facilè alioquĩ posset prę̨stare. Si vocetur à Deo ad religio-

nem, imaginatur rem esse nimis grauem, tristem, intolerabilem; nec audet capessere. Rursus considerans suam conditionem, putat se indignum honore, qui defertur, quasi honor magnum quiddam sit, nec vult illum admittere, etiamsi recta ratio aliud postulet; seque nimium abijcit non habitâ ratione officij, vel gradus, in quo est constitutus.

Eodem modo se habet etiam ad gloriam, laudem, & famam, & si his verè sit dignus. Vnde perspicuum est, hoc vitium respondere in altero extremo tribus illis vitijs explicatis, præsumptioni, ambitioni, & vanæ gloriæ. Vt enim nimium refugit opera, & officia suis viribus commensa, repugnat pręsumptioni: vt nimis honorem, ambitioni: vt veram gloriã, & famam, vanę glorię. Ita Dominus animauit Iosue, vt non esset pusillanimis, dicens; *Confortare, & esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus suis, vt traderem eam illis.*

Iosue. 1.

Hoc vitium est peccatum mortale, si id, quod detrectat, tale sit, vt ad illud suscipiendum sub peccato mortali teneatur: si autem solùm teneatur sub veniali, erit veniale. Idem dicendum, etiamsi res cõsilij tantùm sit: nam etsi non tenearis amplecti, tamen ex pusillanimitate animi refugere, quasi vires, quas Deus tibi dedit, vel dare paratus est, superet, malum est.

Aduersus pusillanimitatem facit consideratio

ratio diuini auxilij, quòd in ijs, quæ ad salutem, vel vocationem nostram pertinent, nobis pręsto est, exempla Sanctorum, magnitudo pręmiorum, & alia, quę fiduciam augent.

MORALE.

Qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14.

Ecce magnus fructus, magna vtilitas humilitatis. Qui ergò vult se humiliare, debet causam, modum, & fructum humilitatis attendere. Attendat, inquam, humiliationis necessitatem, qualitatem, vtilitatem.

Circa causam humiliationis, siue necessitatem considera, quod humilis debeat esse homo propter tria.

1. Propter conditionis vilitatem. *Humiliata est in puluere anima nostra.* Ps. 43. Quid enim est corpus, nisi puluis? *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. Merito ergò se humiliat, qui miseram hanc conditionem recogitat. Gregor. super Ezech. Heu vnde processit homini tanta superbia: cuius tam ærumnosa natiuitas, cuius pęnalitatem concludit mortis necessitas, cuius esse momentaneum, cui mundus exilium, mors periculum.

2. Propter saluantis humilitatem. *Disce à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Mat. 11. Disce, miser homo, humilitatem ab humilibus Sanctis generaliter. *Induite vos, sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatē, humilitatem.* Coloss. 3. Disce à B. Mariâ specialiter. *Respexit humi-* Luc. 1.

 litatem

litatem ancillæ suæ. Disce à Christo humilitatem excellentem, cuius exemplo vsque ad mortem crucis vitam potiùs, quàm humilitatem amittas. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Augustinus: Si tanta humilitate se deprimit diuina maiestas, superbire audet in aliquo humana infirmitas?

Phil. 2.

Eccli. 13. 3. Propter saluationis necessitatem. *Humilia te Domino, & exspecta manum eius*. Habet Dominus manum misericordiæ, & manum damnantem. Has manus homo cum timore exspectat, ignorans, vtrum in iudicij, an misericordiæ manum incidat. Vnde meritò se humiliat. *Humiliamini sub potenti manu Dei*. Gregorius: Nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, vt certam gratiam teneamus humilitate.

1. Pet. 5.

Circa qualitatem humilitatis, & humiliationis modum considera, quòd homo debet humiliari totaliter: corde, ore, & opere.

Ps. 50. Corde: *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies*. Et alibi: *Humilia respicit in cœlo, & in terra*. In cœlo per gloriam: in terra per gratiam. Humiliare ergò in terra, ne humilieris in gehenna. *Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis, & vermis*. Si humilitate cor benè armetur, sagittis diaboli nō facilè vulneratur.

Ps. 112. Eccli. 7.

Ps. 38. Ore debet humiliari. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*. Si verè humilis es, à bonis

nis ex humilitate silebis. Quàm longè sunt ergò ab humilitate, qui etiam à malis non silent? Neque tantùm humilitas oris consistit in silendo humiliter, sed etiam in loquendo humiliter. Patet in Maria Virgine, quæ se ancillam dixit: & in Dauid, qui se canem mortuum vocauit. *Luc. 1.* *2. Reg. 9*

Opere debet humiliari. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine.* Dignè ambulare est in bonis actibus proficere. *Ephes. 4.*

Circa fructum, seu vtilitatem humiliationis considera quòd homo per humilitatem à malo liberatur, in bono adiuuatur, & in cœlo exaltatur.

De 1. Psalmista: *Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.* De necessitatibus vtique culpæ mortalis, pœnæ gehennalis, & miseriæ temporalis. *Circumdederunt me gemitus mortis,* scilicet culpæ mortalis, *& pericula inferni inuenerunt me,* scilicet pœnæ gehennalis. *Tribulationem, & dolorem inueni,* scilicet miseriæ, & temporalis aduersitatis. Sed quomodo, Dauid, euasisti? *Humiliatus sum, & liberauit me.* *Ps. 30.* *Ps. 114.*

De 2. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Benè dicitur: *Inuenies gratiam:* quia gratia humilitate inuenitur, quæ oratione quęritur. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* Psalmista: *Respexit in orationem* *Eccli. 3.* *Eccli. 35* *Ps. 101.*

nem humilium. Sicut autem gratia humilitate inuenitur, sic humilitate custoditur. Gregorius: Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum plumas portat.

Luc. 14. Prou. 29 De 3. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et: *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIUM:

EGressus vnus de filijs Prophetarum, vt colligeret herbas agrestes: inuenitq; quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea collocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim, quid esset. Infuderunt ergo socijs, vt comederent: cumq; gustassent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in olla, vir Dei. *Et non potuerunt comedere. At* Elizeus: *Afferte, inquit, farinam. Cumq; tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.*

4. Reg. 4 MORALITER: Herbæ istę agrestes significant actiones humanas, quæ gustantur, & amaræ sunt, quando charitatis dulcedine non condiuntur. Sed vbi farina charitatis Dei, & proximi infunditur, omnis amaritudo recedit.

EVAN-

EVANGELIVM: *Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege.* Matt.22.

Quæstio est: Quomodò obliget præceptũ de dilectione Dei?

Supponimus extare præceptum de dilectione Dei. Id enim constat manifestè tum ex Scriptura, tum ex ratione.

Ex Script. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et: *Nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuũ, & ambules in vijs eius, & diligas eum.* Et hoc loco: *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Deut.6. Deut 10 Mat.22.

Ratione idem patet tripliciter.

1. Quia in Deo maximè reperiuntur conditiones, ob quas aliquid est ex charitate diligendum.

2. Quia cùm aliqui actus circa media ordinata ad aliquem finem sunt ex præcepto necessarij, multò magis est necessarius ex præcepto actus circa talem finem, si ita liber sit, vt negligi posit. Sicut cùm Isaac præciperet Esau filio suo dicens: *Sume arma tua, pharetrã, & arcum, & egredere foras;* quæ erant media ad capiendum venatu, multo magis præcepit ei finem ipsum, dicens: *Fac mihi pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Sed actus aliarum virtutum, qui versantur circa media Gen.27.

ordinata ad Deum, tanquam ad finem, sunt ex pręcepto necessarij.

Ergò multò etiam magis actus dilectionis charitatis circa Deum, tanquam circa finem; cùm sit alioqui in hac vita liber, vt negligi posśit, & ideò pręcepto opus habeat. Hanc rationem insinuat etiam S. Paulus dicés: *Finis præcepti est charitas.*

3. Quia, vt verisśimè tradunt Theologi, omnis actus ad salutem necessarius est in pręcepto: alioqui aliquis alius actus pręter obseruationem mandatorum esset ad salutem necessarius, contra illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sed actus diligendi Deũ est ad salutem necessarius, iuxta illud: *Qui non diligit, manet in morte.* Ergò est pręceptum.

Mat. 19

1. Ioan. 3

Neque obstat, quòd hoc præceptum non est expresśè positum in Decalogo. Nam pertinet ad Decalogum antecedenter, & virtute in omnibus illis includitur, quatenus ex illo omnia Decalogi pręcepta deducũtur: & ideò in Decalogo non fuit expressum, quia per se satis manifestum.

Hoc igitur supposito, explicandum est, quomodò pręceptum illud obliget de diligẽdo Deo. Et dico obligare istud pręceptum, vt Deum diligamus, non quomodocunque, sed tanquam vltimum nostrum finem, atque adeò summè appreciatiuè, seu (quod idem est) super omnia: non autem vt summè etiam intensiuè.

Col-

Colligitur 1. ex forma verborum, quibus variè in Script. traditur id pręceptum. Dicitur enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et: *Ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Et: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Et: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua.* Quibus locis idem (licet aliquantulum diuersis verbis) significatur; nempe vt diligatur Deus summè appreciatiuè, tanquam nimirũ vltimus finis, ad quem referat quis omnia, quæ vel *corde*, id est, voluntate expetit; vel *mente*, id est, intellectu, concipit, aut decernit; vel *anima*, id est, sensu, & sensitiuo appetitu complectitur; vel *fortitudine*, seu *virtute*, seu *viribus*, id est, facultate executiua, per membra corporis operatur.

Deut. 6. *Mat. 22.* *Marc. 12* *Luc. 10*

Patet 2. quia per præceptum de actu alicuius virtutis modus etiã intrinsecus eius actus imperatur. Sed vt Deus super omnia diligatur, tanquam vltimus finis, est modus intrinsecus eius actus charitatis, qui est Deum diligere. Ergò hic modus dilectionis imperatur etiam per præceptum de diligendo Deo.

Maior prob. ex optima doctrina D. Tho. 2.2. quæst. 44. artic. 4. ad 1. Nam tria possunt considerari in virtutis actu, de quo pręceptũ datur.

Primum est ipsa substantia actus; vt quòd

quis honoret v.g. parentes, & eis subueniat, sicut iubetur in 4. Decalogi pręcepto.

Secundum est modus intrinsecus actus; vt scilicet honoratio illa fiat secundum circumstantias requisitas, vt talis actus verè queat esse actus pietatis parentibus debitæ: nempe vt tantum reuerentię, & subsidij eis impendatur, quantum pro loco, & tempore necesse est: quo demum actus virtutis non modò ita habeat debitam materiam, seu subiectum, ex quo ratio eius, & quasi substantia consideratur, sed etiam sit ei materię, & obiecto suo debitè proportionatus.

Tertium est modus extrinsecus, qui continetur perfectione aliqua adueniente actui ex tali virtute, per quam in alium quoque bonum finem referatur: vt cùm honoratio parentum refertur ex charitate in Deum.

Ex his tribus primum, & secundum præcipitur eodem ipso præcepto, quo imperatur actus ipse virtutis alicuius, hoc ipso nimirũ, quòd imperatur talis virtutis actus, qui vtiq; non consistit sine suo modo intrinseco: non autem tertium.

Minor autem probationis patet. Nam, cũ Deus vltimus sit finis, non erit ei proportionatus actus dilectionis, nisi super omnia diligatur, tanquam vltimus finis. Quare hoc ipso pertinet ad modum intrinsecum eiusdẽ dilectionis.

Prob. 3. ex eo, quòd per præceptum charitatis

tatis imperatur dilectio Dei, *quæ sit ex corde puro, & conscientia bona.* Per quæ duo significantur duæ partes iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum, cum quibus debet coniuncta esse talis dilectio. Sed hæ duæ partes iustitię expleri non possunt, nisi quis Deũ diligat super omnia. Ergò neque pręceptum illud dilectionis Dei adimpleri poterit, nisi Deus super omnia diligatur, atque adeò summè appreciatiuè. Ita Susanna super omnia Deum diligebat, quę dicebat: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.*

1. Tim. 1

Dan. 13

Et Eleazarus super omnia Deum dilexit, qui *destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Et cùm rogaretur secretò, vt saltem simularet manducare carnes porcinas, respõdit: *Non est ætati nostræ dignum fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; atque per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.*

2. Mac. 6

MORALE.

Diliges Dominum Deum tuum.

Sine dilectione saluari non possumus, & dilectionis certitudinem non habemus.

Prob. tamen, & perpenditur Dei dilectio, ex

ex quatuor ſignis, & affectibus ſuis: ſcilicet ex ſollicitudine cogitationis, ex fortitudine affectionis, ex rectitudine intentionis, & ex promptitudine operationis.

Cant. 3. De primò: *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea.* Ecce quomodo omnis anima diligens Deum ſollicita eſt, quomodo eum inueniat, quomodo eum teneat, & quomodo placeat eidem. Ideò benè ſollicitudo amoris his tribus exprimitur, cùm dicitur: *Surgam*, & *circuibo*, & *quæram*. Surgit enim anima amans mentem à terrenis eleuando. Baruc. 5. *Surge Ieruſalem, & ſta in excelſo.* Gregorius: Frigeſcit quis à curis ſeculi, quanto ſurgit ardentius in amore Dei. Item circuit, opera Dei, & beneficia conſiderando, præcipuè beneficium paſsionis Chriſti. Iſa. 23. *Sume citharam, & circui ciuitatem.* Sicut enim in citharâ chordæ ſuper lignũ, ita membra Chriſti in ligno crucis extendebantur. Ciuitas eſt Eccleſia, in qua per plateas mandatorum, per vicos conciliorum quærendus eſt Chriſtus. Item quærit Deum feruenter deſiderando: Ad quid autem quærendus ſit, Bernardus nos inſtruit dicens: Occultat ſe Dominus, vt ardentiùs quęratur, quæſitus cum gaudio inueniatur, inuentus cùm ſolicitudine teneatur, detentus non dimittatur, donec in amoris cubiculum manſurus introducatur.

Cant. 8. De ſecundò: *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia*

fortis

fortis est, vt mors, dilectio. Benè sentit homo, quando sic fortiter diligit Deum, quòd dilectio inuincibilis sit, sicut mors. Augustinus: Resistitur ignibus, vndis, ferro, regibus, & potestatibus: venit vna mors, quis ei resistet? Propterea viribus eius comparata est dilectio. Benè autem dicitur: *Pone me, vt signaculũ, super cor tuum*. Sicut enim sigillum in cerâ molli: sic sponsus charitatis, Christus facilè imprimitur, non cordi duro per impietatem, sed molli per contritionem, & deuotionem. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.* Debet etiam sigillum amoris esse in opere, de quo additur: *Vt signaculum, super brachium tuum*. In operibus enim, & laboribus, quę brachia sunt amoris, ostenditur: *Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.* In ore: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum?* Apparet autem sigillum amoris in ore, cum de dilecto libenter loquitur. Chrysostomus: Amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant. Sigillum amoris optimè claudit os, & custodit à tacendis. Augustinus: Siue taces, dilectione tace: siue clames, dilectione clama.

Psal. 21.

Iob 37.

Eccli. 22.

De tertiò: *Recti diligunt te.* Si seruis Deo timore gehennæ, vel pœnæ transitoriæ, vel amore commodi, vel laudis mundanæ, rectus non es, sed inclinatus ad inferiora, neque oculum intentionis habes ad cœlestia. Et hoc

Cant. 1.

signatum

Luc. 13. ſignatum eſt in muliere, quæ *erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere*. Si autẽ ex amore Dei ſeruis, rectus es. Rectitudo autem hominis in tribus conſiſtit.

1. In mali declinatione: & hoc eſt innocentiæ.

Iob 1. *Erat vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.*

2. In boni operatione: & hoc eſt beneficentiæ.

Prou. 20 *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi mũda, & recta ſunt opera eius.*

3. In amoris Dei intentione: & hoc eſt conſcientiæ. Recta enim conſcientia amore beatitudinis Deo ſeruit, non principaliter timore damnationis.

Mat. 25. Per primam rectitudinem virgo es: per ſecundam lampadem habes: per tertiam oleum poſsides. *Noli timere, ſerue meus Iacob, & rectiſsime, quem elegi.* Quaſi dicat. Non tantùm ex timore, ſed ex amore ſeruus meus tu es rectiſsimus. Rectus vtique in declinatione criminis, rectior in operatione virtutis, rectiſsimus in intentione amoris. Rectitudo ergò amoris ſignum eſt, & effectus dilectionis. Quantũ enim ſeruus Dei à ſeruili timore deficit, tantùm in amore proficit.

De quartò: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.* Si ergò perfectè velimus Deum diligere, ante omnia debemus mandata eius ſeruare.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

REfert Valerius Max. l.1. c.8. de quodam Attilio: *Aliquid admirationis*, inquit, *ciuitati nostræ Attilij etiam Auiolæ rogus attulit, qui & à medicis, & à domesticis mortuus creditus, cùm aliquamdiu humi iacuisset, elatus, postquam corpus eius ignis corripuit, viuere se proclamauit: auxiliumq; Pædagogi sui (nam is solus ibi remanserat) inuocauit.*

Quod si Romani nouum illud exemplum admirati fuerint, quod etiam naturæ viribus contingere poterat: quantò magis admirari oportet stupendum illud miraculum in hodierno Euangelio, quo Dominus paralyticũ sanauit, neque vllam medicinæ naturalis artem adhibuit.

EVANGELIVM: *Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Matt.9.

Euangelium hoc tria complectitur exempla.

Primùm exemplum est fidei charitate viuificatæ in quatuor viris adducentibus Paralyticum ante Christum.

Ait autem Euangelista. *Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit.* Nauigio transijt, qui sicco

ſicco veſtigio tranſmeare potuit. Ipſe namq; eſt, qui olim fugatis fluctibus maris profunda nudauit, vt Iſraëlitæ ſiccis tranſirent pedibus. Ipſe & Petri pedibus mare calcabile prębuit: ſibi ipſi autem nunc maris denegat obſequium, tum vt ſe verum hominem probaret, qui humanas omnes ſuſtinuit neceſsitates: tum etiam, vt exemplo ſuo nos ad humilitatem alliceret, ne ſimiles eſſemus ſuperbis huius ſeculi, qui in mirabilibus ambulant ſupra ſe, ſeque nonnunquam ſupra vires, & diuitias oſtentare conantur, contra illud: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, &c.* Diuitiæ enim, ceteraque Dei dona data ſunt in vſum, minimè verò in abuſum. *Qui* ergò *gloriatur, in Domino glorietur.*

Exod. 14 · Matt. 14 · Ierem. 9 · 1. Cor. 1.

Et venit in ciuitatem ſuam. Scilicet Capharnaum, vt Marcus dicit: *Et iterum intrauit Capharnaum poſt dies octo, & auditum eſt, quod in domo eſſet, & conuenerunt multi, ita vt non caperent neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum.* Sicut enim Nazareth conceptione, & Bethlehem ſua natiuitate: ita Capharnaum inhabitatione, & multiplici prædicatione ſuam ciuitatem fecit; non temporali ditione, quæ Christo in hoc mundo nulla fuit, ſic ipſo dicente: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Maritima hæc eſt ciuitas in finibus Zabulon, & Nephtalim: interpretatur verò

Marc. 2. · Marc. 8.

amœnus

amœnus campus, siue iucundum prædium. At Capharnaũ, quo amœnius fuit, hoc ad Christi Euangelium suscipiendum fuit difficilius: & vsque adeò omnium rerum affluentia, atque prosperitate fuit dementata, vt neque miracula, neque doctrina Christi prodessent. Quare improperando illi dixit: *Væ tibi Capharnaum, vsque ad cœlum exaltata es, vsque in infernum detraheris.* Parui persæpe momenti est Propheta, qui rigidus declamator est in vitia: dicunt enim impij: Grauis est ad videndum, improperat nobis peccata legis, contrarius est operibus nostris, *tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs.*

Matt. 11 Luc. 10.

Sap. 2.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.

Fidem ergò, & fraternam charitatem hîc docemur, nempe ex fide periclitanti fratri succurrere, & qui sibi ipsi opem ferre nequit, eum medico offerre, pecunia subuenire, curam eius agere. *Religio* enim *munda, & immaculata hæc est apud Patrem, visitare infirmos, & viduas in tribulatione eorum.* Nec solum quoad corporis ægritudinem, sed etiam de animæ fratris valetudine solliciti esse debemus, errantemque fratrem ad meliorem frugem allicere. *Infirmum in fide assumite.* Et: *Debemus nos firmiores fratrum infirmitatem sustinere, & huiusmodi in spiritu lenitatis, & mansuetudinis instruere.* Nec non ad Ecclesiæ Catholicæ obedien-

Iac. 1.

Rom 14 Gal. 6.

tiam, ad bona opera, orationem, ieiunium, confeſsionem, ſacram communionem, ac reſtitutionem adhortari. Nam cuiq; Deus mandauit de proximo ſuo.

Hæc fides & dilectio colligitur ex eorum ſtudio, & diligentia erga paralyticum. Nam nunquam de paralytico ad Chriſtum adducendo cogitaſſent, niſi firmiter credidiſſent, Chriſti tantam eſſe potentiam, vt paralyticũ, ſi vellet, poſſet ſanare. Dilectio eorum liquet ex eo, quòd omnem laborem, & moleſtiam ſubeant, vt miſero decumbenti proſint. Sublatum namque grabato Chriſto adducunt, perfoſſo tecto, funibus demiſerunt grabatũ, in quo paralyticus decumbebat, teſte Marco, & Luca.

Marc. 2. Luc. 5.

Hanc fidem, ac dilectionem Chriſtus reſpiciens duplici beneficio Chriſtum proſecutus eſt. Primò peccata ei remittit, iuſtumque facit, ac beatum. Deinde ſanitatem corporis dedit, & paralyſin reſoluit, ac ſuſtulit.

Docemur autem hunc propria, non tãtùm aliena fide fuiſſe ſaluatum. Quòd autem habuerit fidem, inde colligimus, quia vocat eũ filium: quo nomine vocat credentes, quibus *dedit poteſtatem filios Dei fieri*, Habeamus igitur Sanctos, qui pro nobis ad Deum intercedant, ac pios homines, qui pro nobis orent. Quòd autem tales preces etiam proſint alijs, patet ex Scriptura. Nã Moyſes precibus ſuis populum Iſraël liberauit ab incurſu Regis Ama-

Ioan. 1. *Exod. 17*

Amalech. Et cùm filij Iſraël offendiſſent Dominum ob adoratum vitulum, ipſe multis millibus veniam impetrauit. Mariam etiam, ſororem ſuam, precibus à lepra liberauit. Elias quoque ſimilis nobis erat, & tamen pro omnibus pluuiam obtinuit. Vnde etiam Dominus ad Ezechiam: *Protegam vrbem iſtam propter David, ſeruum meum*. Neque ſolùm prodeſt fides aliena ad ſalutem corporum, ſed etiam animarum: verùm differenter. Sanitas enim corporis plerumque datur ſine fide propria, propter ſolam fidem alterius. Nam Chriſtus dicebat Centurioni: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi:* & ſanatus eſt ſeruus eius propter fidem Domini. Et per fidem Chananeæ ſanata eſt filia eius: *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora*. Salus tamen animæ non datur ſine propria fide. Vnde dicitur hîc: *Videns fidem illorum*. Sed illa non ſufficiebat: nam ſubdit: *Confide fili*. Sicut enim *vnuſquiſque in ſua impietate morietur:* ſic etiam adultus nemo ſaluabitur, niſi in ſua iuſtitia. Poteſt tamen vnus alteri fidem impetrare. Sic Stephanus, vt aliqui volunt, Paulo fidem impetrauit. Sic Paulus pro Epheſijs orat, vt detur eis plenior cognitio Chriſti, vt poſsint adoleſcere in fide.

Exod. 32 · *Num. 12* · *3. Reg. 18.* · *4 Reg. 20.* · *Matt. 8.* · *Mat. 15* · *Matt. 9.* · *Ezec. 18* · *Epheſ. 3.*

Secundum exemplum eſt charitatis in Chriſto, qui hunc paralyticum tam benigniter curauit.

Præſtitit autem Chriſtus illi quatuor.

tiam, ad bona opera, orationem, ieiunium, confeſsionem, ſacram communionem, ac reſtitutionem adhortari. Nam cuiq; Deus mandauit de proximo ſuo.

Hæc fides & dilectio colligitur ex eorum ſtudio, & diligentia erga paralyticum. Nam nunquam de paralytico ad Chriſtum adducendo cogitaſſent, niſi firmiter credidiſſent, Chriſti tantam eſſe potentiam, vt paralyticũ, ſi vellet, poſſet ſanare. Dilectio eorum liquet ex eo, quòd omnem laborem, & moleſtiam ſubeant, vt miſero decumbenti proſint. Sublatum namque grabato Chriſto adducunt, perfoſſo tecto, funibus demiſerunt grabatũ, in quo paralyticus decumbebat, teſte Marco, & Luca.

Marc. 2. Luc. 5.

Hanc fidem, ac dilectionem Chriſtus reſpiciens duplici beneficio Chriſtum proſecutus eſt. Primò peccata ei remittit, iuſtumq́ue facit, ac beatum. Deinde ſanitatem corporis dedit, & paralyſin reſoluit, ac ſuſtulit.

Docemur autem hunc propria, non tãtùm aliena fide fuiſſe ſaluatum. Quòd autem habuerit fidem, inde colligimus, quia vocat eũ filium: quo nomine vocat credentes, quibus *dedit poteſtatem filios Dei fieri*, Habeamus igitur Sanctos, qui pro nobis ad Deum intercedant, ac pios homines, qui pro nobis orent. Quòd autem tales preces etiam proſint alijs, patet ex Scriptura. Nã Moyſes precibus ſuis populum Iſraël liberauit ab incurſu Regis

Ioan. 1.

Exod. 17

Ama-

Amalech. Et cùm filij Israël offendissent Dominum ob adoratum vitulum, ipse multis millibus veniam impetrauit. Mariam etiam, sororem suam, precibus à lepra liberauit. Elias quoque similis nobis erat, & tamen pro omnibus pluuiam obtinuit. Vnde etiam Dominus ad Ezechiam: *Protegam vrbem istam propter* DAVID, *seruum meum*. Neque solùm prodest fides aliena ad salutem corporum, sed etiam animarum: verùm differenter. Sanitas enim corporis plerumque datur sine fide propria, propter solam fidem alterius. Nam Christus dicebat Centurioni: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi:* & sanatus est seruus eius propter fidem Domini. Et per fidem Chananeæ sanata est filia eius: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora*. Salus tamen animæ non datur sine propria fide. Vnde dicitur hîc: *Videns fidem illorum*. Sed illa non sufficiebat: nam subdit: *Confide fili*. Sicut enim *vnusquisque in sua impietate morietur:* sic etiam adultus nemo saluabitur, nisi in sua iustitia. Potest tamen vnus alteri fidem impetrare. Sic Stephanus, vt aliqui volunt, Paulo fidem impetrauit. Sic Paulus pro Ephesijs orat, vt detur eis plenior cognitio Christi, vt possint adolescere in fide.

Exod.32. *Num.12.* *3. Reg. 18.* *4 Reg. 20.* *Matt.8.* *Mat.15* *Matt.9.* *Ezec.18* *Ephes.3.*

Secundum exemplum est charitatis in Christo, qui hunc paralyticum tam benigniter curauit.

Præstitit autem Christus illi quatuor.

 1. Ref-

1. Respexit fidem illorum, qui decumbentem in lecto adducebant. Sunt enim nonnulli, quibus persuasum est, se non indigere orationibus aliorum; qui perfectiores volunt esse B. Paulo, qui in omnibus epistolis suis petit pro se orari. Ex quo discimus gratissimum Deo esse, mutuis sese iuuare precibus, iuxta illud: *Facere misericordiam magis placet Deo, quā victima.* Et: *Orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri.*

Prou.21. Matt.6.

2. Requisiuit fidem propriam in paralytico: de quâ diximus.

3. Non requisiuit mortuam, sed viuam fidem, quæ confitetur, & amat Christum, filiū Dei, non qualem fingebant Pharisæi putantes eum esse purum hominem. Nam cùm peccata dimitteret, dicebant intra se: *Hic blasphemat.* Vnde dixit: *Confide, fili.* Mitis enim, & blandus omnibus Deus, maximè peccatoribus. *Nunquid cadens non adijciet, vt resurgat? aut auersus non reuertetur?* Et iterum: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et: *Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed potiùs vt conuertatur, & viuat.* Iustum autem terret Deus dicens: *Si fecerit homo omnem iustitiam, omnemq́; veritatem, & auersus peccauerit, non recordabor iustitiæ eius, sed in peccato suo morietur.* Nam si iustum laudaret, paulatim in iustitia sua flaccesceret: peccatoris autem miseretur, vt non desperaret. *Terribilis est super omnes, qui in circuitu eius sunt.* Quinam autem hi sint, testatur Dauid:

Matt.9. Ierem.8. Zach.1. Ezec.18 Ezec.33 Psal.88.

David: *Deus*, inquit, *glorificatur in concilio sanctorum, magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt*. Docet etiam Dominus illo verbo; *Fili*, debere nos blandos, & benignos esse ad omnes, maximè ad pauperes, & ægros, iuxta illud: *Estote inuicem benigni, misericordes, &c.* Ephes.4.

Ex eodem verbo habetur, quantum fructum consequitur is, cui remissa sunt peccata. Statim enim filius Dei dicitur. Nihil enim nos à Deo separat, nisi peccatum, iuxta illud: *Iniquitates vestræ dimiserunt inter vos, & Deum vestrum, & absconderunt faciem eius à vobis.* Isa.59. Nihil in nobis odit Deus, nisi peccatum. Peccato autem remisso Deum habemus propitium, & patrem, & acclamare licet: *Pater noster, qui es in cælis.* Matt.6. Hinc David: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Psal.31.

4. Remisit peccata. Fecit vt bonus medicus; abstulit inprimis causam morbi, scilicet peccata: deinde morbum ipsum dicens: *Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Matt.9. Ex quibus colligimus, quòd infirmitates corporis plerumq; ex peccatis oriantur. Sicut enim nonnunquam morbus corporis morbum inducit animæ, vtpote impatientiam, blasphemiam, &c. sic è diuerso morborum corporis præcipua causa est peccatum. Vnde Christus ipse dixit infirmo iam sanato: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* Ioan. 5. Hoc idem clarissimè docuit Moyses: *Si non audieris*, inquit, Deut.28.

vocem Domini, &c. *mittet Dominus in te pestilentiam*, &c. per totum caput.

Docemur hîc primam curam esse impendendam saluti animæ, quæ si sana fuerit, nihil obesse poterit morbus corporis. Vera enim est sententia: Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. Ante omnia itaque ad animarum medicos recurrendũ est, iuxta illud: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros.* (*Iac. 5.*)

Tertium exemplum est malitiæ Pharisæorum, qui Christo blasphemiæ notam inurebant, quòd peccata remitteret. Hæc malitia colligitur ex cogitationibus eorum, quibus calumniabantur eum, vt blasphemum, qui, cùm homo esset, remitteret peccata, dicentes: *Hic blasphemat.* (*Matt. 9.*) Lucas habet: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* (*Luc. 5*) Non dixerat: Ego remitto: sed, *Remittuntur*. Sed ipsi ad calumniandum nunquam non procliues sic acceperunt, cùm diuinam quandam potentiam hæc vox sonaret. Nouerant dictum à Domino: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* (*Isa. 43.*) Sciebant item sacerdotes pro peccatis orasse, ac sacrificia obtulisse: (*Leuit. 5.*) sed hominem potestatem habere in terris dimittendi peccata, omnibus retrò seculis erat inauditum. Hinc morti ipsum obnoxium iudicabant, cùm blasphemus iubeatur lege occidi. (*Leui. 24*) *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit*

nomen

nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus, qui blasphemauerit nomẽ Domini, morte moriatur.

Sed Christus hoc miraculum alijs duobus miraculis confirmauit.

1. Euidenti Deitatis argumento, quo spiritu suo agnouit cogitationes eorum, quod solius Dei est. *Nemo enim scit, quid sit in homine, nisi spiritus hominis.* Solus autem Deus nouit corda hominum, iuxta illud: *Nulla creatura inuisibilis est in conspectu eius: nam omnia nuda, & aperta sunt ei.* — 1. Cor. 2. — Hebr. 4.

2. Quòd sit Deus, & potestatem habeat remittendi peccata, confirmauit ex hoc, quòd non solùm paralyticum solo verbo sanitati restituerit: sed & sublato lecto egressus sit in conspectu omnium, adeò vt stupefacti sint omnes. Natura enim in operibus suis indiget tractu temporis, itemque medijs, per quæ operetur: Deus autem nullo horum indiget. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt:* sermone enim restaurat vniuersa. De hâc etiam Christi potestate Ioannes dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quod nõ est eo modo intelligendum, quasi Christus ita tollat peccatum, vt iam nullum peccatum sit, & quasi nunc liberè liceat vnicuique pro sua libidine viuere: sed vt deinceps viuamus iustitiæ, iuxta illud: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati,* &c. *ita* — Sap. 16. — Ioan. 1. — Rom. 6.

 exhibete

exhibete eadem. Fit enim visibile signum, vt probetur inuisibile, & ait paralytico: *Tibi dico, surge. Et confestim consurgens coram illis tulit lectum suum, in quo iacebat, & abijt in domum suam magnificans Deum.* Quemadmodum in miserijs ad Deum recurrimus auxilium petentes: sic post acceptum beneficium gratias agere debemus, ne ingrati inueniamur. *Benedic, anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius.*

Luc. 5.

Ps. 102.

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Lucas: *Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti sunt timore, dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.* Marcus: *Quia nunquam sic vidimus*: Vt scilicet simplici verbo & peccata condonaret, & morbum insanabilem adimeret. Sicut ex vno, eodemque flore & aranea elicit venenum, & apis colligit suũ mel: sic bonus homo profert bona de thesauro suo, eaque in Dei laudem; malus verò profert mala in Dei contumeliam.

Mat. 9.

Luc. 5.

Marc. 2.

Discimus ergò ex hâc historiâ, in omnibus tribulationibus nostris spem, atque fiduciam habere in Domino, Deo nostro: nam ipse est *adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.*

Psal. 9.

DO-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

VAlerius Max. lib. 4. c. 8. refert: *Philippo, ait, Macedoniæ Rege superato, cùm ad insigne spectaculum tota Græcia conuenisset, Quintius Flaminius tubæ signo silentio facto, per præconem hæc verba recitari iussit: S. P. R. & Quintius Flaminius Imp. omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas, atque immunes esse iubet. Quibus auditis, maximo, & inopinato gaudio homines perculsi, primò, velut non audiuisse se, quæ audiuerunt, credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronunciatione preconis, tanta cœlum alacritate compleuerunt, vt certè constet, aues, quæ superuolabant, attonitas, pauentésque decidisse. Magni animi fuisset, à tot captiuorum capitibus seruitutem detraxisse, quot tunc nobilißimis, & opulentißimis vrbibus P. R. libertatem largitus est.*

Similiter beneuolentiam suam in hodierno Euangelio Rex omnibus exhibuit, quos ad nuptias filij sui inuitauit. Sed illi sanè ingrati, nec cum Græcis illis comparandi, qui *noluerunt, & neglexerunt venire.* *Mat. 22*

EVANGELIVM: *Loquebatur Iesus Principibus sacerdotum, & Pharisæis in parabolis, dicẽs: Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* *Ibid.*

Hæc historia quatuor complectitur. Primò thesaurum Euangelij, nempe ineffabilem bonitatem Dei Patris, qui fecit nuptias filio suo.

Considerandum autem est 1. Quis sit Rex? Nempe Pater cœlestis, *Rex Regum, diues in omnes.* Nec prætereundum silentio, quòd hic Rex homo quoque dicitur. Consueuit enim Scriptura sacra, cùm iram, ac vindictã Dei describere cupit, ipsum Deum leoni, vrso, aut simili alicui bestiæ feroci comparare. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit.* Et: *Sicut rugit Leo captâ prædâ, nec timet multitudinem clamoris:* sic Deus, &c. Et Ieremias conqueritur: *Factus est mihi Dominus, vt leo, & vrsus insidians:* Significans nimirũ iram, & iudicium Dei, quod iudicant præcedentia. Nam *cùm clamauero*, inquit, *exclusit orationem meam*. Vbi autem Dei bonitatem commendare vult scriptura homini ipsum comparat. Sic enim nobis mutatis, mutatur Deus. Si homines sumus, & vt rationis capaces viuimus, ipse quoque Deus homini comparatur: si autem in bestiarum morem degeneramus, ipse nobis efficitur omni ferâ crudelior.

Apo. 19
Rom. 10
Amos 3.
Esa. 31.
Thren. 3.

Considerandum 2. Quis sit sponsus? nempe ipse Dominus Iesus Christus: in quo, & per quem ipse nobis donauit iustitiam, gratiam, & remissionem peccatorum, qui saluberrimi sunt animarum cibi. Huic sponso

Deus

Deus Pater, & Rex ſacrum ſuum regnum dedit, redimendum, liberandum, iudicãdum, & purgandum. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Et ipſa eadem regni traditio deſponſatio eſt. Nam qui regnum ſunt Chriſti, hi ſunt & ſponſa Chriſti. Sunt regnum, quia ſua eos virtute redemit de poteſtate tenebrarum, & ſubiecit ſuis legibus. Sponſa ſunt, quia perpetua eos charitate vinciuit, vt ſicut ſponſa cum ſponſo vna caro, ita fideles cum Chriſto vnum corpus, & vnus ſpiritus ſunt; vt multis in locis ediſſerit S. Paulus. Et, ſicut ſponſus ſponſam, ad omnem ſuam voluntatem ornauit, *Mundans eam ſanguine ſuo*: atque cùm ſterilis eſſet ad fructus ſalutis, fecit eam fœcundam ſuo Spiritu ſancto. Hinc apud Oſeam: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus: & ſpõſabo te mihi in fide.* His enim, velut arrabone, Chriſtiana mens Chriſto ſociatur. Ad quam deſponſationem alludit Paulus: *Deſpondi,* inquit, *vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Pſal. 2. *Coloſſ. 1.* *Epheſ. 5.* *Oſeæ 2.* *2. Cor. 11*

Conſiderandum 3. Quæ nuptiæ? Nempe Catholica religio, & Euangelium, per cuius fidem, & charitatem in Baptiſmo, & in alijs Sacram. coniungimur Chriſto: ſicut in nuptijs humanis mulier marito per ſacramentum coniungitur. Et hinc eſt, quòd matrimonij iure

iure bonæ Christi, nempe iustitia, fides, charitas, pietas, sanctificatio, redemptio animabus nostris communicentur: quia cum ipso vna caro facti sumus. Hinc Paulus nos toties corpus Christi appellat. Et quod euidentius est: Nos, inquit, *membra sumus corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius*. Hæ nuptiæ in vtero Virginis inchoatæ fuerunt quando scilicet diuinitati humana natura coniuncta fuit. Per has Christus omnibus nobis affinitate coniunctus est, imò eiusdem naturæ, & sanguinis. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Sicut autem primò singularem illam naturam in vnitate personæ assumpsit: sic posteà, tanquã sponsus procedens de thalamo suo, omne humanam genus assumpsit, ac spiritualiter, & inuisibiliter sibi vniuit, adeò vt omnia cum ipsis bona, & mala communia habere voluerit, idque iuramento etiam firmauerit, ac re ipsa ostenderit. Nam & mala nostra in se recepit, ac in se mortificauit: bona autem sua abundè nobis contulit: denique etiam cohæredes nos sibi assumpsit. Hinc Apostolus Paulus ex vinculo matrimonij collegit, è quantis malis, & miserijs per Christum eripiamur. Vnde cùm mentionem fecisset de matrimonio, statim ad altiora conscendens: *Mysterium hoc magnum est*, inquit, *ego autem dico, in Christo, & Ecclesia.*

Rom. 12

Ephes. 5.

Matt. 12

Ephes. 5.

Considerandum 4. Qui serui? Nempe sancti

sancti Prophetę, Apostoli, Episcopi, Pastores, & omnes fideles, verbi diuini, atque sacramentorum Ecclesiæ Catholicę dispensatores: qui à DOMINO missi inuitatos ad Christi Euangelium singulis temporibus vocant. Sic Prophetas fecisse, scribit Petrus: *De qua salute,* inquit, *exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Et idem: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibēt, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Posteà circa finem legis *Factũ est verbum Domini super Ioannē, filium Zachariæ in deserto, & venit in omnē regionē Iordanis, dicens: Pœnitentiam agite: appropinquabit regnum cælorum.* Deinde dixit Apostolis: *In viam Gentiũ ne abieritis, sed ite ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Præterea 72. *discipulos misit in omnē ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.*

1. Cor. 4. 2. Cor. 6. 1. Pet. 1. Act. 10. Luc. 3. Mat. 10. Luc. 10.

Considerandum 5. Qui inuitati? Nempe Iudæi, & vniuersus Israël ab Adam, primo parente, à Patriarchis, Patribus, Regibus, Prophetis, Iudicibus, Sacerdotibus, vsque ad Ioannem Baptistam. *Abrahæ enim, & semini eius factæ sunt repromißiones.* Et *ipsorum erat adoptio, & testamētum, & promissa.* Vnde Christus: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Et Petrus: *Vos,* inquit, *estis filij Prophetarum, & promißionis, quæ ad Abraham facta est.*

Gal. 3. Rom. 9. Mat. 15. Act. 3.

Considerandum 6. Quæ fercula? Nempe tauri occisi, altilia mactata, fercula delicata,

optima

optima condimenta, Scripturę sacræ, atque Euangelij mysteria, quibus ad salutem inuitamur. Scilicet *Iustus ex fide viuit. Venite ad me omnes.* Et: *Non veni vocare iustos.* Et: *Si impius egerit pœnitentiam.* Et: *Calamum quassatum non conteram.* Ad hæc fercula degustanda post passionem Christi, & resurrectionem, per ipsos Apostolos Spiritu sancto repletos primùm Iudæos vocauit, idque maiori auctoritate, quàm priùs. Priùs enim nihil aliud eos prædicare iussit, quàm: *Appropinquabit regnum cælorum.* Nunc autem clariùs, & manifestius annunciare omnia iussit, dicens: *Omnia sunt parata: venite ad nuptias.* Omnia, quæ ad beatitudinem pertinent, parata sunt: diabolus deuictus, mors occisa, cœlum apertum, ira Patris ablata, vitulus saginatus mactatus est. Nam *Christus seipsum exinaniuit,* &c. *Factus obediens Patri vsque ad mortem crucis.* Quàm speciosa sunt hæc fercula? *Desiderabilia super aurum, & lapidē pretiosum, & dulciora super mel, & fauum.* O quanto studio antiqui Patres hoc audiuissent! Vocabantur quippe & ipsi, sed nondum omnia parata erant, sed tantum futura sperabantur. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes,* inquit Apostolus, *non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes, salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram.* Vnde meritò nobis dicitur: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Multi enim Reges, & Prophetæ,* &c.

Abac. 2. Rom. 1. Mat. 11 Matt. 9. Ezec. 18 Isa. 42. Luc. 3. Matt. 22 Phil. 2. Ps. 18. Heb. 11. Luc. 10.

Se-

Secundò complectitur hæc parabola abusum Euangelij, nempe ingratitudinem Iudæorum. Vocati enim *nolebant venire*: quod non fuit vitium ignorantię, aut fragilitatis, sed obstinatæ malitiæ, & voluntatis rebellis; sicut dicitur de impijs, quòd *rebelles fuerint lumini*. Hoc igitur verbo Christus innuit eos ex malitiâ peccare: quod olim etiã Deus conquestus est dicens: *Et misi vos ad omnes seruos meos Prophetas, per diem consurgens diluculo, & nõ me audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt, quam patres eorum*. Item: *Et noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedẽtes, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo sancto, per manus Prophetarum*. Id etiam Christus ipsis improperat. *Cantauimus vobis, & non saltastis*. Et: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis*. Hinc ipsis comminatur: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: dilexit maledictionem, & veniet ei*.

Mat. 22. Iob 24. Ier. 44. Zach. 7. Mat. 11. Mat. 23. Ps. 108.

Illi verò neglexerunt. Mat. 22.

Videmus plurimos nec Christi saluatoris sanguine, nec Sanctorum exemplis ad superna moueri, qui scilicet rursus sibimetipsis crucifigunt filium Dei. *Ipsum quoque testamenti sanguinem, quo redempti sunt, pollutum ducunt: Christum filium Dei conculcant, & spiritui gra-* Hebr. 10

tiæ

tiæ contumeliam faciunt.

Quid verò plurimos detineat, indicat dicens: *Alij in villam suam, alij in negotiationem suam, alij verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos tenuerunt.*

Mat. 22.

Per hos viros vult intelligi duo genera auditorum verbi Dei, aut Euangelij. Alterum, quod curâ victus, & studio diuitiarum negligit, & contemnit Prophetas, Apostolos, Pastores, Religiosos. Sic miseri filij Adam propter temporalia negligunt æterna; & quæ esse debebant illis adminicula ad salutem, efficiuntur impedimenta. Neque malum est ad villam, vel negotiationem ire, aut etiam vxorem ducere, sed propter illa salutem negligere, extremæ dementiæ est. *Quid enim proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Mat. 16.

Alterum genus auditorum etiam summâ impudentia & crudelitate persequitur Prophetas, Apostolos, Concionatores. Quibus Christus exprobrat: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Iudæi omnes Prophetas sunt persecuti, adeò vt Spiritus sanctus per Stephanum dicat: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti: cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.* Post Prophetas, & ipsum Dominum Prophe-

Mat. 23.

Act. 7.

Act. 4. & 5.

Prophetarum occiderunt, ipsiusque persecuti sunt discipulos.

Tyranni tandem occiderunt Apostolos: Nero Petrum, & Paulum: sic Traianus, Decius, Diocletianus in suis persecutionibus innumerabilem Martyrum, & Virginum occiderunt multitudinem in Oriente, & Occidente. Nostris quoque temporibus quàm multi Ecclesiam DEI persequantur, nimis notum est.

Tertiò complectitur hæc parabola pęnam contemnentium Euangelium:

Rex autem cùm audisset.

Clamat enim sanguis iustorum ad Deum, quod Dominus ipse de Abel affirmat. Et Ioannes audiuit animas interfectorum vindictam petentium. Hunc timorem Deus nō exaudire non potest: Deus faciet vindictam. Et ideò statim subdit: *Iratus est.* Non per iram inducente perturbationem, sed inflexibilitatem iudicij. *Quoniam zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Ira* enim DEI, ait Paulus, *reuelatur de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorū, qui veritatem* DEI *in iniustitia detinent.*

Gen. 4. *Apoc. 6.* *Luc. 18.* *Prou. 6.* *Rom. 1.*

Et missis exercitibus suis.

Per exercitus intelligit vniuersos diuinæ iustitiæ executores: quales fuerūt Amorrhæi, Philistæi, Assyrij, Babylonij, ac tandem Romani, tametsi impij essent.

O *Perdidit*

Perdidit homicidas illos.

Suprà dixerat: *Auferetur à vobis regnum*, &c. spiritualiter puniendos subindicans. Hîc autem & corporalem pœnam ijs prædicit. Vtrimque enim puniri meruerant, qui tam temporalia, quàm spiritualia à Deo receperát beneficia. Quanta autem impietas sit verbum Dei, & Sacramenta Ecclesiæ contemnere, ex eo patet, quòd plurima regna ob hanc causam deleta iusto Dei iudicio legimus in historijs, tum sacris, tum profanis. Saul, quòd summo Sacerdoti Samuëli non obediret, regnum suæ posteritati amisit. Iubet etiam Deus, vt hanc eorum impietatem scribat Isaias super buxum, quia mansura sit; quodq; fiet eis, sicut fracturæ muri, quæ insperatò ruit; & velut vas figuli, quod comminuitur, vt nec guttam aquæ, neque scintillam ignis ferre queat.

1. Reg. 15.

Isa. 30.

Et Ieremiæ præcepit, vt abscissum capillum abijciat: nam dereliquit, & abiecit eos, & dixit: *Dic ad eos: hæc est gens, quæ non audiuit vocem* Domini Dei *sui, nec recepit disciplinam.* Regem Iuda ita execratur, quòd verbum Domini audire noluerit, vt, etiamsi annulus esset in manu eius, inde tamen ablatum projjceret. Et id genus loca non pauca sunt, quibus gladium, hostes, vastationes, inedias, minatur. Porrò in alia vita etiam Sodomis, & viris Niniuitis remissiùs fore prædicit, quàm generationi huic, quòd oblatum salutis nuntiũ

Ierem. 7.

Ier. 22.

Ier. 39.

Zach. 7.

recipere

recipere noluerunt. Et Paulus apertiori sententia de his, qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, pronunciat: *Qui dabunt pœnas in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri, in omnibus, qui crediderunt.* Punientur & hæretici omnes, qui Euangelio pertinaciter contradicunt. Nam illos Angeli separabunt: dæmones cruciabũt, &, vt Sapiens ait, *Pugnabit orbis terrarum cum eo contra insensatos.* Occidentur non iam primâ, sed morte secundâ, de quâ Ioannes: Timidis autem, & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & omnibus idololatris, & mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.

2. Thess. 1.

Mat. 25.

Sap. 5.

Apo. 21

Erit enim dies iudicij succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus. Cui Sapiens alludit: *Stuppa collecta, synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.*

Malac. 4

Eccli. 21

Qui inuitati erant, non fuerunt digni.

Indigni habiti sunt, quia seipsos indignos fecerunt. Quod Paulus ipse exprobrat: *Vobis,* inquit, *oportebat primùm annunciari regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes.*

Act. 13

Quartò complectitur hæc parabola vocationem Gentium. Ait enim Rex seruis suis:

Hæc historia quatuor complectitur. Primò thesaurum Euangelij, nempe ineffabilem bonitatem Dei Patris, qui fecit nuptias filio suo.

Considerandum autem est 1. Quis sit Rex? Nempe Pater cœlestis, *Rex Regum, diues in omnes.* Nec prætereundum silentio, quòd hic Rex homo quoque dicitur. Consueuit enim Scriprura sacra, cùm iram, ac vindictā Dei describere cupit, ipsum Deum leoni, vrso, aut simili alicui bestiæ feroci comparare. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit.* Et: *Sicut rugit Leo captâ prædâ, nec timet multitudinem clamoris:* sic Deus, &c. Et Ieremias conqueritur: *Factus est mihi Dominus, vt leo, & vrsus insidians:* Significans nimirū iram, & iudicium Dei, quod iudicant præcedentia. Nam *cùm clamauero*, inquit, *exclusit orationem meam*. Vbi autem Dei bonitatem commendare vult scriptura homini ipsum comparat. Sic enim nobis mutatis, mutatur Deus. Si homines sumus, & vt rationis capaces viuimus, ipse quoque Deus homini comparatur: si autem in bestiarum morem degeneramus, ipse nobis efficitur omni ferâ crudelior.

Apo. 19
Rom. 10
Amos 3.
Isa. 31.
Thren. 3.

Considerandum 2. Quis sit sponsus? nempe ipse Dominus Iesus Christus: in quo, & per quem ipse nobis donauit iustitiam, gratiam, & remissionem peccatorum, qui saluberrimi sunt animarum cibi. Huic sponso

Deus

Deus Pater, & Rex ſacrum ſuum regnum dedit, redimendum, liberandum, iudicãdum, & purgandum. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Et ipſa eadem regni traditio deſponſatio eſt. Nam qui regnum ſunt Chriſti, hi ſunt & ſponſa Chriſti. Sunt regnum, quia ſua eos virtute redemit de poteſtate tenebrarum, & ſubiecit ſuis legibus. Sponſa ſunt, quia perpetua eos charitate vinciuit, vt ſicut ſponſa cum ſponſo vna caro, ita fideles cum Chriſto vnum corpus, & vnus ſpiritus ſunt; vt multis in locis ediſſerit S. Paulus. Et, ſicut ſponſus ſponſam, ad omnem ſuam voluntatem ornauit, *Mundans eam ſanguine ſuo*: atque cùm ſterilis eſſet ad fructus ſalutis, fecit eam fœcundam ſuo Spiritu ſancto. Hinc apud Oſeam: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus: & ſpõſabo te mihi in fide.* His enim, velut arrabone, Chriſtiana mens Chriſto ſociatur. Ad quam deſponſationem alludit Paulus: *Deſpondi,* inquit, *vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Pſal. 2. *Coloſſ. 1.* *Epheſ. 5.* *Oſea 2.* *2. Cor. 11*

Conſiderandum 3. Quæ nuptiæ? Nempe Catholica religio, & Euangelium, per cuius fidem, & charitatem in Baptiſmo, & in alijs Sacram. coniungimur Chriſto: ſicut in nuptijs humanis mulier marito per ſacramentum coniungitur. Et hinc eſt, quòd matrimonij iure

iure bona Christi, nempe iustitia, fides, charitas, pietas, sanctificatio, redemptio animabus nostris communicentur: quia cum ipso vna caro facti sumus. Hinc Paulus nos toties corpus Christi appellat. Et quod euidentius est: Nos, inquit, *membra sumus corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius*. Hæ nuptiæ in vtero Virginis inchoatæ fuerunt quando scilicet diuinitati humana natura coniuncta fuit. Per has Christus omnibus nobis affinitate coniunctus est, imò eiusdem naturæ, & sanguinis. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*. Sicut autem primò singularem illam naturam in vnitate personæ assumpsit: sic posteà, tanquã sponsus procedens de thalamo suo, omne humanam genus assumpsit, ac spiritualiter, & inuisibiliter sibi vniuit, adeò vt omnia cum ipsis bona, & mala communia habere voluerit, idque iuramento etiam firmauerit, ac re ipsa ostenderit. Nam & mala nostra in se recepit, ac in se mortificauit: bona autem sua abundè nobis contulit: denique etiam cohæredes nos sibi assumpsit. Hinc Apostolus Paulus ex vinculo matrimonij collegit, è quantis malis, & miserijs per Christum eripiamur. Vnde cùm mentionem fecisset de matrimonio, statim ad altiora conscendens: *Mysterium hoc magnum est*, inquit, *ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*.

Rom. 12

Ephes. 5.

Matt. 12

Ephes. 5.

Considerandum 4. Qui serui? Nempe

sancti

sancti Prophetę, Apostoli, Episcopi, Pastores, & omnes fideles, verbi diuini, atque sacramentorum Ecclesiæ Catholicę dispensatores: qui à Domino missi inuitatos ad Christi Euangelium singulis temporibus vocant. Sic Prophetas fecisse, scribit Petrus: *De qua salute,* inquit, *exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Et idem: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibēt, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Posteà circa finem legis *Factū est verbum Domini super Ioannē, filium Zachariæ in deserto, & venit in omnē regionē Iordanis, dicens: Pœnitentiam agite: appropinquabit regnum cælorum.* Deinde dixit Apostolis: *In viam Gentiū ne abieritis, sed ite ad oues, quæ perierunt, domus Israël,* Præterea 72. *discipulos misit in omnē ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.*

1. Cor. 4. 2. Cor. 6. 1. Pet. 1. Act. 10. Luc. 3. Mat. 10 Luc. 10.

Considerandum 5. Qui inuitati? Nempe Iudæi, & vniuersus Israël ab Adam, primo parente, à Patriarchis, Patribus, Regibus, Prophetis, Iudicibus, Sacerdotibus, vsque ad Ioannem Baptistam. *Abrahæ enim, & semini eius factæ sunt repromißiones.* Et *ipsorum erat adoptio, & testamētum, & promissa.* Vnde Christus: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Et Petrus: *Vos,* inquit, *estis filij Prophetarum, & promißionis, quæ ad Abraham facta est.*

Gal. 3. Rom. 9. Mat. 15 Act. 3.

Considerandum 6. Quæ fercula? Nempe tauri occisi, altilia mactata, fercula delicata,

optima condimenta, Scripturę sacræ, atque Euangelij mysteria, quibus ad salutem inuitamur. Scilicet *Iustus ex fidę viuit. Venite ad me omnes.* Et: *Non veni vocare iustos.* Et: *Si impius egerit pœnitentiam.* Et: *Calamum quassatum non conteram.* Ad hæc fercula degustanda post passionem Christi, & resurrectionem, per ipsos Apostolos Spiritu sancto repletos primùm Iudæos vocauit, idque maiori auctoritate, quàm priùs. Priùs enim nihil aliud eos prædicare iussit, quàm: *Appropinquabit regnum cælorum.* Nunc autem clariùs, & manifestius annunciare omnia iussit, dicens: *Omnia sunt parata: venite ad nuptias.* Omnia, quæ ad beatitudinem pertinent, parata sunt: diabolus deuictus, mors occisa, cœlum apertum, ira Patris ablata, vitulus saginatus mactatus est. Nam *Christus seipsum exinaniuit,* &c. *Factus obediens Patri vsque ad mortem crucis.* Quàm speciosa sunt hæc fercula? *Desiderabilia super aurum, & lapidē pretiosum, & dulciora super mel, & fauum.* O quanto studio antiqui Patres hoc audiuissent! Vocabantur quippe & ipsi, sed nondum omnia parata erant, sed tantum futura sperabantur. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes,* inquit Apostolus, *non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes, salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram.* Vnde meritò nobis dicitur: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Multi enim Reges, & Prophetæ,* &c.

Abac. 2. Rom. 1. Mat. 11. Matt. 9. Ezec. 18. Isa. 42. Luc. 3. Matt. 22. Phil. 2. Ps. 18. Heb. 11. Luc. 10.

Se-

Secundò complectitur hæc parabola abusum Euangelij, nempe ingratitudinem Iudæorum. Vocati enim *nolebant venire*: quod non fuit vitium ignorantię, aut fragilitatis, sed obstinatæ malitiæ, & voluntatis rebellis; sicut dicitur de impijs, quòd *rebelles fuerint lumini*. Hoc igitur verbo Christus innuit eos ex malitiâ peccare: quod olim etiã Deus conquestus est dicens: *Et misi vos ad omnes seruos meos Prophetas, per diem consurgens diluculo, & nõ me audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt, quam patres eorum*. Item: *Et noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedẽtes, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo sancto, per manus Prophetarum*. Id etiam Christus ipsis improperat. *Cantauimus vobis, & non saltastis*. Et: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis*. Hinc ipsis comminatur: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: dilexit maledictionem, & veniet ei*.

Mat. 22. Iob 24. Ier. 44. Zach. 7. Mat. 11. Mat. 23. Ps. 108.

Illi verò neglexerunt. Mat. 22.

Videmus plurimos nec Christi saluatoris sanguine, nec Sanctorum exemplis ad superna moueri, qui scilicet rursus sibimetipsis crucifigunt filium Dei. *Ipsum quoque testamenti sanguinem, quo redempti sunt, pollutum ducunt: Christum filium Dei conculcant, & spiritui gra-* Hebr. 10.

tiæ

tiæ contumeliam faciunt.

Quid verò plurimos detineat, indicat dicens: *Alij in villam suam, alij in negotiationem suam, alij verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos tenuerunt.*

Mat. 22.

Per hos viros vult intelligi duo genera auditorum verbi Dei, aut Euangelij. Alterum, quod curâ victus, & studio diuitiarum negligit, & contemnit Prophetas, Apostolos, Pastores, Religiosos. Sic miseri filij Adam propter temporalia negligunt æterna; & quæ esse debebant illis adminicula ad salutem, efficiuntur impedimenta. Neque malum est ad villam, vel negotiationem ire, aut etiam vxorem ducere, sed propter illa salutem negligere, extremæ dementiæ est. *Quid enim proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Mat. 16.

Alterum genus auditorum etiam summâ impudentia & crudelitate persequitur Prophetas, Apostolos, Concionatores. Quibus Christus exprobrat: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Iudæi omnes Prophetas sunt persecuti, adeò vt Spiritus sanctus per Stephanum dicat: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti: cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.* Post Prophetas, & ipsum Dominum Prophe-

Mat. 23.

Act. 7.

Act. 4. & 5.

Prophetarum occiderunt, ipſiuſque perſecuti ſunt diſcipulos.

Tyranni tandem occiderunt Apoſtolos: Nero Petrum, & Paulum: ſic Traianus, Decius, Diocletianus in ſuis perſecutionibus innumerabilem Martyrum, & Virginum occiderunt multitudinem in Oriente, & Occidente. Noſtris quoque temporibus quàm multi Eccleſiam Dei perſequantur, nimis notum eſt.

Tertiò complectitur hæc parabola pęnam contemnentium Euangelium:

Rex autem cùm audiſſet.

Clamat enim ſanguis iuſtorum ad Deum, quod Dominus ipſe de Abel affirmat. Et Ioannes audiuit animas interfectorum vindictam petentium. Hunc timorem Deus nō exaudire non poteſt: Deus faciet vindictam. Et ideò ſtatim ſubdit: *Iratus eſt*. Non per iram inducente perturbationem, ſed inflexibilitatem iudicij. *Quoniam zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Ira enim* Dei, ait Paulus, *reuelatur de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorū, qui veritatem* Dei *in iniuſtitia detinent.*

Gen. 4. *Apoc. 6.* *Luc. 18.* *Prou. 6.* *Rom. 1.*

Et miſsis exercitibus ſuis.

Per exercitus intelligit vniuerſos diuinæ iuſtitiæ executores: quales fuerūt Amorrhæi, Philiſtæi, Aſſyrij, Babylonij, ac tandem Romani, tametſi impij eſſent.

Perdidit homicidas illos.

Suprà dixerat: *Auferetur à vobis regnum*, &c. ſpiritualiter puniendos ſubindicans. Hîc autem & corporalem pœnam ijs prædicit. Vtrimque enim puniri meruerant, qui tam temporalia, quàm ſpiritualia à Deo receperát beneficia. Quanta autem impietas ſit verbum Dei, & Sacramenta Eccleſiæ contemnere, ex eo patet, quòd plurima regna ob hanc cauſam deleta iuſto Dei iudicio legimus in hiſtorijs, tum ſacris, tum profanis. Saul, quòd ſummo Sacerdoti Samuëli non obediret, regnum ſuæ poſteritati amiſit. Iubet etiam Deus, vt hanc eorum impietatem ſcribat Iſaias ſuper buxum, quia manſura ſit; quodq́; fiet eis, ſicut fracturæ muri, quæ inſperatò ruit; & velut vas figuli, quod comminuitur, vt nec guttam aquæ, neque ſcintillam ignis ferre queat.

1. Reg. 15.

Iſa. 30.

Et Ieremiæ præcepit, vt abſciſſum capillum abijciat: nam dereliquit, & abiecit eos, & dixit: *Dic ad eos: hæc eſt gens, quæ non audiuit vocem* Domini Dei *ſui, nec recepit diſciplinam*. Regem Iuda ita execratur, quòd verbum Domini audire noluerit, vt, etiamſi annulus eſſet in manu eius, inde tamen ablatum proijceret. Et id genus loca non pauca ſunt, quibus gladium, hoſtes, vaſtationes, inedias, minatur. Porrò in alia vita etiam Sodomis, & viris Niniuitis remiſsiùs fore prædicit, quàm generationi huic, quòd oblatum ſalutis nunciũ recipere.

Ierem. 7.

Ier. 22.

Ier. 39.

Zach. 7.

recipere noluerunt. Et Paulus apertiori sententia de his, qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, pronunciat: *Qui dabunt pœnas in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri, in omnibus, qui crediderunt.* Punientur & hæretici omnes, qui Euangelio pertinaciter contradicunt. Nam illos Angeli separabunt: dæmones cruciabũt, &, vt Sapiens ait, *Pugnabit orbis terrarum cum eo contra insensatos.* Occidentur non iam primâ, sed morte secundâ, de quâ Ioannes: Timidis autem, & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & omnibus idololatris, & mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.

2. Thes. *Mat. 25.* *Sap. 5.* *Apo. 21*

Erit enim dies iudicij succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus. Cui Sapiens alludit: *Stuppa collecta, synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.*

Malac. 4 *Eccli. 21*

Qui inuitati erant, non fuerunt digni.

Indigni habiti sunt, quia seipsos indignos fecerunt. Quod Paulus ipse exprobrat: *Vobis,* inquit, *oportebat primùm annunciari regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes.*

Act. 13

Quartò complectitur hæc parabola vocationem Gentium. Ait enim Rex seruis suis:

Mat. 22 *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.* Hoc impletum fuit, quando Mar. 16 dixit: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate* Mat. 10. *Euangelium omni creaturæ.* Primùm dixerat: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed ite potius ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Verùm vbi hi regnum Dei, & regales nuptias suapte malitia Mat. 28. despexerunt, iam in omnem terram missi sunt discipuli, & omnes gentes docere iussi sunt: vt ostendat se neminem abijcere, nisi priùs ab eo fuerit abiectus.

Et reuera tanta fuit erga Iudaicam plebem longanimitas, vt Gentiũ misereri nollet, donec illa misericordiam abiecisset: quod diffu- Rom. 11 se docet Paulus. Per *exitus viarum* intelligit Gentes, quæ liberè sub cęlo viuebant in idololatrijs, ceterisque flagitijs, nec erant certis legibus, aut cultui adstrictæ, sicut Iudæi. Quã inordinata, & quã confusa fuerit gentilitas, quot illic vię, sectæ, errores, superstitiones, Rom. 1. mores, & linguæ, cum sacra, tum profana te- Ephes. 4. stantur volumina. Magna sanè consolatio: Luc. nam Lucas addit: *Cæcos, & claudos introduc huc.* Nihil sanum, nihil non cæcum, & claudum Rom. 1. inter gentes erat. *Mutauerunt gloriam Dei, &c. Ideò tradidit eos in reprobum sensum.* Et tamen Psal. 22. omnes ad nuptias vocat Deus. *Parasti nobis mensam aduersus omnes, qui tribulant nos.*

Matt. 22 *Congregauerunt bonos, & malos.*

Nam pręsens Ecclesia agro comparatur, in

quo

quo zizania plurima inter triticum videntur, tempore messis in ignem conijcienda. Item areæ comparatur, in qua nedum grana, sed & paleæ sunt, quæ area tandem purgabitur ventilabro.

Matt. 13
Marc. 3.

Ingressus Rex, vt videret discumbentes.

Matt. 22

Vbi omnes discubuerint, id est, cùm omnes astiterint ante tribunal Christi, *vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* Intrabit Rex omnium conscientias rimaturus: & tunc *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Tunc discernentur fatuæ virgines à prudentibus, seruus impiùs à fideli, veri Christiani ab hypocritis.

2. Cor. 5.
1. Cor. 4.

Vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali.

Vnum exprimens omnes Christianos intelligit. Vestem enim nuptialem non habent, qui byssina, quæ sunt iustificationes sanctorum, non adferunt: qui nudo nomine, non vita, non merito hominis Christiani nuptiarum gaudia petunt. Quemadmodum enim populum suum quondam corporali veste præcepit à non suo populo fore distinctum: ita spirituali cultu quondam electos à non electis secernit. *Dabit Dominus opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum faciam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia sunt semen, cui benedixit Dominus.* Rectè ergò monet Salomon: *Omni tempore sint vesti-*

Apo. 19
Num. 15
Isa. 61.
Eccle. 9.

menta tua candida. Paulus quoque haud quaquam arbitratur nos ad immortalitatis gloriæ stolam posse pertingere, nisi hîc fuerimus vestiti, & non inueniamur nudi. Et de suo aduentu Dominus dicit: *Ecce, ego venio, sicut fur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.*

2. Cor. 5. Apo. 16

Amice, quomodo huc intrasti, &c.

Quasi dicat. Ego quidem verum amicum egi, teque è tenebris vocaui: tu autem specie quidem amicum simulasti, cùm reuerà hostis, & aduersarius sis. Quomodò igitur ausus fuisti intrare? Nescis, quòd vltionum Dominus sim, qui reddo retributionem superbis? *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis? Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris scandalum. Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, vt videas lucernam tuam extingui. Dura profectò hæc Dei sententia. Vnde protinus exclamat: *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum.*

Ps. 93. Ps. 46.

At ille obmutuit.

Nec excusauit, nec veniam orauit: nulla enim illic excusatio proderit, sed nec veniæ locus, aut tempus erit. *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Ipsa enim conscientia testimonium perhibente contra pseudochristianos, quod respondeant, non habebunt. Verè, vt ignis, exardescet ira eius.

Iob 9. Rom. 2. Psal. 88.

Ligatis

Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.

Manus ligantur, quia post hac nullũ opus erit iustitiæ: ligantur pedes, quia ad vitam remeare, de qua profecti sunt, non poterunt. Magnum enim chaos inter electos, & reprobos obfirmatum est. Et quia tenebras interiores sponte elegit, exteriores tenebras inuitus nunc sustineat. Vidit Ioannes quintum Angelum effundere phialam suam super sedem bestiæ, *Et factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Rigida hæc contra impium sententia. *Obliuiscentur eius misericordes,* nemo vnquam eius recordabitur. Singula pensemus. Solutas habuit manus, quibus salutem operari potuisset; aderat & tempus, & facultas; clementer inuitabat Deus; sed neglexit: nunc ligentur illi manus. *Venit enim nox, quando operari nemo potest.* Pedes habuit solutos, quibus diuinum effugere potuit iudicium: *Qui credit in me, non iudicatur.* Sed quia contempsit, ligentur illi pedes. Inter electos solo nomine conuersatus est: eijciatur ab eis. Immitis fuit erga omnes: obliuiscantur nunc eius misericordes. Aderat lux: sed *dilexit magis tenebras, quàm lucem:* eijciatur nunc in tenebras exteriores. Noluit lugere, vbi luctus salubris erat, & post luctum consolatio: lugeat nunc in

Luc. 16.

Apo. 16

Iob 24.

Ioan. 9.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

 sem-

sempiternum. Felices, qui his auditis contremiscunt ad pœnitentiam: quia *ab auditione hâc malâ non timebunt.*

Ps. 111.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

VAlerius Max. l. 1. rerum gestarum c. 8. *Philippus*, inquit, *Macedonum Rex, admonitus oraculo, vt à quadriga violentia salutem suam custodiret, toto regno disiungi currus iussit; eumq; locum, qui in Bœotiâ quadriga vocatur, semper vitauit. Nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit calatam.* Ita certa cuique mors, nec vitari potest, cùm hominem ferit: sicut etiam frequenter differt venire, quando iam putatur adesse. Ita in filio Reguli accidit, qui *incipiebat iam mori.* Quid mori? *Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.*

Ioan. 4.

EVANGELIVM: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.*

Ibid.

Secundum moralem sensum in regno Regulus iste homo est.

In regno illo Deus hominem constituit, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus*

Gen. 1.

maris,

maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Ita ratio hominis crescere debet in prudentia, multiplicari bonis operibus: replere terram, id est, corpus dirigere; & subijcere eam, id est, corpus domare, dominari piscibus maris, id est, mundi vanitatibus: volatilibus cœli, id est, suggestionibus diaboli: & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram, id est, cunctis prauis desiderijs, quæ ex sensualitate corporis oriuntur.

De eodem regno Dominus ad Cain: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Potens ille, & felix Rex est, cuius appetitus rationi subijcitur, & ratio plenè illi dominatur. Sed quare dicitur Regulus? duabus de causis. Gen. 4.

I. Quia dominatur in paruo regno, nimirum in Microcosmo: solus autem Deus in Macrocosmo. Vnde de terra Chanaan, quia temporale regnum erat, & mutabile, rectè dicitur: *Quæ in quinque Regulos Philistijm diuiditur.* Iof. 13.

II. Dicitur Regulus irrisoriè, quia non perfectè dominatur subditis: imò resistunt frequenter Regulo, & cum inimicis eius fœdera ineunt. Venit enim auaritia, & vendicat sibi sedem in regno illo: Luxuria, ego, dicit, regnabo: ira, inuidia, & cetera vitia militant contra illud. Sicut in terra Chanaan *dereliquit Dominus gentes, vt erudiret in eis Israëlem, & omnes,* Iud. 3.

ntibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Quando cecidit Dauid? Quando pleno erat ventre: *Cùm surgeret de stratu suo post meridiem.* Et diues ille, qui *epulabatur quotidiè splendidè, mortuus est, & sepultus in inferno.* Non sine ratione ergò nobis S. Pater noster Franciscus tantoperè paupertatem commendauit, quia ipsa custos humilitatis, humilitas fundamentum perfectionis. Quid de S. Matre Clarâ dicam? Sæpe, credo, audiuistis; cùm vnus tantùm in domo panis superesset, dimidiam partem fratribus dedit eleemosynam petentibus: altera dimidia 40. sorores saturauit.

2. Reg. 11.

Luc. 16.

Porrò morbus, quo laborabat filius Reguli, febris erat. Variæ autem sunt febris species: Vna est quotidiana, quæ significat peccata venialia, quę vitare non possumus: de quibus Sapiens: *Septies in die cadit iustus.* Et Apostolus Ioannes: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ista febris & si mortem non adferat, ad mortem tamen disponit. Vnde etsi Dominus de Lazaro dixerat: *Infirmitas hæc non est ad mortem:* Posteà tamen subiunxit: *Lazarus mortuus est.* Sed periculosissima febris est Quartana: quæ designat peccatum mortale, & inueteratum. Illa difficillimè expellitur, vnde maximè caueatur. Quantam moram adhibuit Christus, vt suscitaretur Lazarus, qui *fetebat, & quatriduanus erat?* Venire debuit Iesus in

Prou. 24.

1. Ioan. 1.

Ioan. 11.

Iudæam:

Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vt ergò crucem amplectamur, mundum calcare oportet. Quid, quæso, est in mundo? *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* Felices illæ animæ, quæ sponso suo in cruce desiderant adhærere. Nec ascendere crucem sufficiant, sed oportet in cruce vsque ad finem permanere. Quoties Christus de cruce vocatus fuit? prętereuntes clamabāt: *Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant: Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed quia in cruce vsque ad finem permansit, ideò gloriosam de hoste suo palmam reportauit. Vnde Angelo Smyrnæ scribitur: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam.* Quid inde? *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sanctus Franciscus nónne etiam cruci affixus fuit? Semper Domini Iesu stigmata corde gessit: nouissimè per biennium in corpore portare meruit: Imò & cancellatis brachijs moriens fratribus suis benedixit, vt semper nobis illius esset memoria, in qua tam nobilis Saluatori nostro parta est victoria.

Eccle. 1.

Mat. 27

Apoc. 2.

Nónne & cruci affixus fuit, & mortem vsque in eâ permansit Prior ille Ordinis Prędicatorum, in cuius pectore post mortem ossea crux inuenta fuit? Refert Thomas

Can-

Cantiprat. lib. 1. Apum, c. 25. p. 6. Si ergò vsque ad mortem in cruce cum Saluatore nostro manserimus, in nouissimo die gloriosè cum eo resurgemus.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM.

VAlerius Max. lib. 9. c. 3. refert de Manlio Torquato, quòd *cùm amplissimam, & gloriosissimam ei ex Latinis, & Campanis victoriam in Vrbem referenti seniores omnes lætitiâ ouantes occurrerent, iuniorum nemo obuiam processerit, quia filium adolescentem fortissimè aduersus imperium suum prœliatum securi percussum occidisset. Miserti sunt æquales nimis asperè puniti. Nec factum eorum*, ait, *defendo: sed iræ vim iudico, quæ vnius ciuitatis & ætates, & affectus diuidere valuit. Eademq; tantùm potuit, vt vniuersum Pop. Roman. equitatum à Fabio Cons. ad hostium copias persequendas missum, cùm & tutò, & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorem, immobilem retineret.* Quod si tanta vis iracundiæ est, oportuna contra eam remedia quæramus.

Mat. 18. EVANGELIVM: Dixit Iesus *discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini*

homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

THEMA: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Occasione horum verborum de causis, & remedijs irę agendum erit. Concitatur autem ex varijs causis. Nam quod ad ipsum irascentem attinet, ex passionibus alijs oritur, & potissimùm ex tristitia; vt D. Thom. 1.2. qu. 47. art. 1. benè declarat.

Quod autem attinet ad res extrinsecas, concitari solet ex varijs incommodis, & iniurijs illatis, ex quibus plerasq; recenset Philosophus l.2. Rhet. c.2. Sed omnes illæ, quòd pertinet quidem ad hominem, reuocari possunt ad vnam causam generalem, nempe ad contemptum aliquem, siue paruipensionem excellentiæ alicuius. Hinc fit, vt quò maiori excellentia quisque præditus est, eò faciliùs, ac vehementiùs soleat irasci, quantum est quidem ex vi iniuriæ illatæ, quia scilicet tales iniquiore animo ferunt contemptum. Ita *cùm audiuisset Aman, & experimẽto probasset, quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valdè, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas: magísque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.* Est. 3.

Aliunde tamen defectus excellentiæ, aut commoditatis in eo, qui iniuriam patitur, incitare

citare vehementer etiam solet ad iram, quoniam reddunt defectus eiusmodi hominem procliuiorem ad tristitiam, ex quâ proximè ira nasci solet. Atque hæc est ratio, cur ij, qui ægritudine corporis, aut calamitate aliqua laborant, faciliùs irascantur. Quod Philosophus etiam docuit lib. 2. Rhet. c. 2. *AEgrotantes*, inquit, *pauperes, amentes, sitientes, & vniuersaliter cupientes, & non assequentes, iracundi sunt, ac facilè accenduntur.* Porrò quia contemptus, vt diximus, concitat iram, inde fit, vt defectus excellentiæ, & dignitatis in eo, qui iniuriam infert, augeat in altero iram, si contemptum maiorem reddat.

Multò enim magis irascitur quis ob iniuriam acceptam ab homine obscuro, & plebeio, quàm si à viro nobili offensus esset. Quã ob causam Dei ira, & indignatio erga hominem peccatorem meritò potest infinita esse, cùm infinitam grauitatem habeat offensa Dei ex eâ parte, quòd homo peccator infinitè exceditur ab illâ Dei maiestate, quam offendit.

Præcipuum autem hoc loco est, vt ostendamus remedia, quæ ad sedandam iram valeant. Sunt itaque remedia duplicis generis: quorum alia valent, vt aliorum erga nos iram mitigemus, eosque ad mansuetudinem traducamus, quæ definit Philosophus l. 2. Rhet. c. 2. alia nobis ipsis prosunt, vt mansueti simus, id est, vel non irascamur, vel conceptam iram reprimamus.

Ad

Ad auertendam igitur aliorum iram in nos proderit primò, non illicò, atque accensam irę flammam in alterius pectore cernimus, velle obsistere, sed *dare inprimis locum iræ*, vt monet Apostolus; ne alioqui, dum iram alterius, tanquam incendium, intempestiuè, & præproperè volumus restinguere, augeamus illam potiùs, & quasi ventilemus. Hoc suadet præclarè D. Ambros. l. 1. de officijs, c. 21. *Scriptum est*, inquit, *date locum iræ. Iacob fratri indignanti piè cessit, Rebecca, id est, patientiæ ductus consilio abesse maluit, & peregrinari, quàm excitare fratris indignationem, & tunc redire, cùm fratrem mitigatum putaret.* Rectè etiam Seneca l. 3. de ira, c. 39. *Primam iram*, inquit, *non audebimus oratione mulcere. Surda est, & amens. Dabimus illi spacium. Remedia in remissionibus morborum prosunt. Nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem monendo incitaturi, nec cetera vitia, dum feruent. Initia morborum quies curat.*

Rom. 12.

II. Cum iam deferbuisse nonnihil videbitur ira, pacato, humilique sermone multùm lenietur. *Mollis* enim *responsio frangit iram.* Ita viri Ephraim locuti sunt ad Gedeonem: *Quid est hoc, quod facere voluisti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, & propè vim inferentes. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? In manus vestras Dominus tradidit Principes Madian, Oreb, & Zeb. Quod cùm locutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.*

Iud. 8.

III. Ad id iuuabit agnitio, & pœnitentia, & humilitas, & deprecatio culpæ, si quis in alterum peccauerit. Vnde Philosophus lib. 2. Rhet. c. 3. Cessare dicit iram in eos, *quos pœnitet, & fatentur, & qui humiliter se gerunt, neque contradicunt iratis, & rogant, atque deprecantur.* Cuius signum dicit apparere *in punitione seruorum. Negantes enim, atque contradicentes multò magis puniuntur: cùm verò iure se puniri fatentur, cessat ira. Quòd autem humilitate ira sedetur, canes ostendunt, qui sedentes non mordent.* Sententiæ dignæ sunt, qui à Christianis hominibus notentur. Sunt enim simillimæ illis Dauidicis: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meā Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et: *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.* Atque hoc ipsum consilium humilitatis dedit Angelus Agar, ancillæ Saræ, vt dominam suam, quam fugiebat propter seueritatē, placaret. *Reuertere,* inquit, *ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.*

Ps. 31.

Psal. 50.

Gen. 16.

IIII. Danda est opera, vt, quod admissum est (sicut ait Plutarchus) quàm longissimè remoueamus à suspicione contemptus, ex quâ scilicet ira existit. Ita cùm Dauid iratus diceret: *Quare non venisti mecum Miphiboseth?* Ille non ob contemptum Regis id accidisse asseuerit: *Seruus meus contempsit me,* ait: *dixiq; ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum Rege; claudus enim sum seruus tuus.*

2. Reg. 15.

Vt

Vt autem ipsi non inique, aut immoderatè irascamus, vel certè vt irã deponamus, si fuerimus irati, eo maiori studio prouidendum, & procurandum est, quo est huius passionis impetus turbulentior, & effrænatior. Cæteri namque affectus mouent, & propellunt animum: hic præcipitat. Et quidem D. Ioannes Cassianus l.8. de institut. Cœnob. c.2.5.6.7. 8. & 21. omnem iram omninò, quæ quacunque ex causa suscipiatur erga alterum, existimat esse prauam, & pellendam ex animo, illamque solam esse laudabilem, qua quis sibi ipsi propter peccata irascitur, & nominatim propter peccatum iræ: sicque intelligit illud: *Irascimini, & nolite peccare.* Sed tamen certum est, iram moderatam, & iustam erga alterum quoque, vt scilicet ordine iustitiæ saluo puniatur, & vindicetur illius peccatum, non esse malam. Nam etiam de Christo Domino legimus, quod *circumspiciens eos* (Pharisæos) *cum irâ, contristatus est super cæcitate cordis eorũ.* Et D. Augustinus l.9. de ciuit. c.5. *Irasci,* inquit, *peccãti, vt corrigatur, nescio vtrum quis sana consideratione reprehendat.* Nec obstat testimonium Apostoli, quod adducit Cassianus: *Omnis ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ.* Loquitur enim de omni irâ praua, id est, iniqua, & immoderata, qualis esse solet, cùm quis vult auctoritate sua priuata quidpiam vlcisci.

Psal. 4.

Marc. 3.

Ephes. 4.

Vt igitur iram immoderatam, & iniquã, id

 est,

eſt, prauum appetitum iniuriam veram, vel apparentem perperam vlciſcendi cohibeamus, quædam iuuabunt.

1. Ne quid verbo, aut facto tentemus tunc, cùm ira concitamur, ſed potiùs quieſcamus, vt ſenſim ille feruor animi, & ardor per ſe remittatur. Sapienter enim Plutar. lib. de cohibenda iracundia, non longè ab initio: *Vt incendium*, inquit, *qui non addit materiam, extinguit: ſic & iram quiſquis non aluit naſcentem, nec cum flatu concitauit.* Ira Phenenna, cùm *affligeret illam æmula eius, & vehementer angeret, intantum, vt exprobraret, quod Dominus concluſiſſet vuluam eius*, tacebat, & iram compeſcebat; ſed *flebat, & non capiebat cibum.*

1. Reg. 1.

2. In eo quaſi ſilentij portu cùm conquieſcimus, enitendum eſt, vt quoad fieri poſsit, minuamus in nobis opinionem exiſtimatæ iniuriæ. Sæpe namque fallimur, iniuriam reputantes id, quod non eſt, aut non tantum eſt, vt ob id iraſci debeamus. Seneca lib. 3. de irâ c. 30. *Quod accidere vides animalibus mutis, idem in homine reprehendes. Friuolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad vmbram aſpis exurgit: vrſos, leoneſq; mappa proritat. Omnia, quæ natura fera, & rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem inquietis, & ſtolidis ingenijs euenit, rerum ſuſpicione feriuntur: adeò quidem, vt interdum iniurias vocent modica beneficia, in quibus frequentiſſima, certè acerbiſsima materia iracundiæ eſt. Chariſsimis enim iraſcimur, quòd minora*

nora nobis præstiterint, quàm mente concepimus. Minùs habui, quàm speraui: sed fortassis plus speraui, quàm debui. Hinc perniciosissimæ iræ nascuntur. Diuum Iulium plures amici confecerunt, quàm inimici, quia eorum non expleuerat spes inexplebiles. Et c. 31. *Tanta importunitas hominum est, vt quamuis multa acceperint, iniuriæ loco sit, plus accipere potuisse. Dedit mihi præturam, sed Consulatum sperauerem.* Ita Ioseph diminuit iniuriam fratrum suorum dicens: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.* *Gen. 50.*

3. Cogitandum nobis est, quid aliquanto post tempore de iniuria, quæ in præsenti vehementiùs nos commouet, sensuri simus. Comperiemus enim fore, vt aut nihili, aut nō tanti eam posteà faciamus: & sic quod dies ipse existimare nos faciet, ratione conabimur in præsenti iudicare. Huius remedij quanta sit vis, declarare mihi abundè videtur illa oratio Plutarchi l. de cohibenda ira, circa medium: *Quis,* inquit, *vsque adeò morosus, & sæuus est, vt puniat, ac flagris cædat seruum, quod ante quinque aut decem dies adusserit obsonium, aut mensam subuerterit, aut tardiùs auscultauerit? Et tamen huiusmodi sunt ea, ob quæ protinùs, vt acciderunt, ac recens admissa sunt, turbamur, exacerbamur, & implacabiles sumus. Quemadmodum enim per nebulam corpora: ita per iram maiora videntur;*

quæ admissa sunt. Ita Dauid immemor iniuriæ, quâ à filio affectus erat, dixit ad Sadoch: *Reporta arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis* Domini, *reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum*. Quasi in præsenti non velit offendi iniuria, quam posteà æquo laturus erit animo.

2 Reg. 15.

4. Considerandum attentiori animo est, iniuriam non tam nobis, quàm ei, qui illam infert, turpem, & perniciosam esse. Ex quo orietur misericordia erga illum compescens iram. *Si enim*, vt præclarè inquit D. Chrysost. homil. 47. in Ioannem, *neque laboranti, neque timido quisquam irascitur, sed his morbis affecti sui misericordiam, & lachrymas mouent, certè neque iniuriam facienti irasci, sed compati conuenit, cùm sit huius animus miserabilior, vtpote multo magis æger*. Itaque rectè Plutarchus l. de ira cohibenda post medium, monet eum, qui ob iniuriam aliquam irascitur, debere imitari Diogenem, cui cùm diceretur. *Hi tè derident, ô* Dioge*nes: Ego verò, inquit, non derideor: vt scilicet non credat* (inquit Plutar.) *ad se pertinere, nec existimet se contemni, sed illum magis contemnat, qui per imbecillitatem, aut errorem, aut præcipitantiam, aut incogitantiam, aut ob seruile ingenium, aut ob senium, aut iuuentutem deliquit*.

5. Reputandum etiam est, per iram, & vindictam adeò non remoueri malum, quod vlcisci cupimus, vt plerumque etiam cumuletur aliquo alio maiori incommodo, quàm sit id,

quod

quod per iram, & vindictam amoliri volumus. Quocirca committendum non est, vt *à malo* frustrà, & inutiliter, & plerumque etiã cum maiori damno *vincamur*, sed potiùs cum lucro *vincamus in bono malum*, per vsum scilicet præclarissimarum virtutum, patientiæ, & mansuetudinis, vt grauissimè monet Apostolus. Ita cùm Dauid lugeret Absalon, & populus ab eo dilaberetur, dixit Ioab ad Regem: *Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quòd, si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt super te ab adolescentia tua vsque in præsens.*

Rom.12

2.Re.19

6. Qui paucis, simplicibusque rebus contentus esse assuescit, neque appetitionibus varijs rerũ superuacanearum habenas laxat, is raró irascetur, cùm ipse sibi subtraxerit materiam irascendi. Ita Achitophel si non desiderasset suum impleri consilium, non tam horrenda morte perijsset. Nam *videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitq;, & abijt in domum suam, & ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interijt.*

2.Re.17

7. Neque nimis curiosum oportet esse, qui placatus vult esse, & mansuetus. Sæpe namq; ad iracundiam prouocamur ijs cognitis, quæ satiùs ignoraremus. *Non expedit*, ait Seneca l. 3. de irâ, c. 11. *omnia videre, omnia audire. Multæ*

nos iniuriæ transeant, ex quibus pleraſq; non accipit, qui neſcit. Non vis eſſe iracundus? Ne ſis curioſus. Qui inquirit, quid in ſe dictum ſit: qui malignos ſermones, etiamſi ſecretò habiti ſint, eruit, ſiue euertit, ſe ipſe inquietat. Ita cùm petijſſet Achab vineam Naboth, & ille reſpondiſſet: *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi: venit Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth.*

3. Re. 21

8. Iracundorum hominum conſortium, quoad fieri poterit, & decebit, vitandum eſt, ne illorum iracundia in nobis iram, tanquam ignis ignem, excitet, & accendat. Nam *vir iracundus prouocat rixas.* Et: *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa, & iracunda.* Et: *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo; ne fortè diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Et: *Non litiges cũ homine linguato, & non ſtrues in ignem eius ligna.* Et verè, ac ſapienter D. Chryſoſtom. homil. 29. ad populum Antiochenum: *Feræ*, inquit, *potiùs, quàm homini iracundo cohabitandum eſt. Nam illa cùm ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem; hunc autem quotieſcunque mitigaueris, rurſus efferatur.*

Prou. 15
Prou. 21
Prou. 22
Eccli. 8.

9. Laus, & dignitas, & vis manſuetudinis conſideranda eſt, quæ non modò hominem admirabilem facit, ſed etiam id ipſum plerumque certiùs aſſequitur, quod ſibi proponit iracundia, nempe vt alterum deprimat, & frangat.

frangat. Ideò Apostolus commendat nobis illud: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Vbi interprete D. August. lib. 3. de doctrin. Christ. c. 6. Carbones ignis significant *vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet, se inimicum fuisse hominis, à quo miseriæ eius subuenitur.*

Prou. 25

10. Præclara etiam exempla patientiæ, & mansuetudinis eorum, qui in his virtutibus excelluerunt, reuocanda in mentem, sunt, cũ occasio iræ datur, vt animus ad imitandum concitetur. Nam vt D. Chrysostom. homil 3. de Dauid, & Saule, commendans mansuetudinem Dauidis, apposite scripsit: *Quemadmodũ ij, qui laborant ex oculis, colorem aliquem suauem frequenter intuendo nonnullum morbi capiunt leuamen: similiter is, qui* Dauidis, *& aliorum hominum mansuetorum imaginem præ oculis habeat, & in hac assiduè defigat oculos, etiamsi millies obtundat ira, mentis oculos perturbans, tamen ad id virtutis exemplar respiciens, perfectam consequetur sanitatem, purámque philosophiam, ac tranquillitatem animi.* Suppetunt autem in hoc genere tum veterum philosophorum, tum piorum hominum, multa sanè, & præclarissima exempla.

Philosophorum colligit exempla quædam huius virtutis Seneca lib. 3. de irâ, c. 12. & 22. & aliquot sequent. Itemque Plutarchus lib. de ira cohibenda. *Plato*, inquit Seneca in illo

c. 12. *cùm seruo iussisset præbere scapulas verberibus, sua ipse manu percussurus, postquam intellexit irasci se, sicut sustulerat manum, ita suspensam retinebat, & stabat percussuro similis. Interrogatus autem ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret: Exigo, inquit, pœnas ab iracundo. Velut stupens enim gestum illum sapienti viro indignum seruabat, oblitus videlicet iam serui, quia alium, quem potius castigaret, puta seipsum, inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem. Tu, inquit, Speusippe, seruulũ istum verberibus obiurga: nam ego irascor.* Et c. 22. *Quid,* inquit, *facilius fuit Rege Antigono? Qui cùm duos manipulares Regio tabernaculo excubantes sibi maledicere audiuisset, pallam, quæ inter dicentes, & audientem intererat, leniter commouit. Et longius, inquit, discedite, ne vos Rex audiat.* Simili vti facilitate in ferendis maledictis præcipit Epictetus in Enchrid. c. 48. *Si quis,* inquit, *nunciauerit, quendam tibi maledicere, non refutes, quæ dicta sunt, sed responde, eum nesciuisse cetera tua vitia: nam alioqui non illa sola fuisse dicturum.* Tum Plutarchus loco citato: *Arcesilaus,* inquit, *cum hospites quosdam excepisset conuiuio, apposita est cœna, sed deerat panis, nimirum pueris oblitis emere. Quo quidem in casu quis nostrûm non repleuisset parietes clamore. At ille ridens: Quam, inquit, res est apta conuiuijs apparandis esse sapientem? Socrates verò, cùm è palæstrâ casu redeuntem Euthydemum excepisset conuiuio, Xantippe* (vxor Socratis) *irata surrexit, dixitque conuitia, tandem etiam mensam subuertit. Euthydemus autem*

surgens,

surgens abire cupit dolore affectus. Tum Socrates: *At domi tuæ, inquit, nónne nuper accidit, vt gallina quædam subuolans idem hoc efficeret? Nos tamen non indignabamur.* Et infrà: *Aristippo,* inquit, *posteaquã ipsi cum AEschine nescio quid iræ incidisset, & quidam illi diceret: O Aristippe, vbi nunc amicitia vestra? Dormit, inquit, sed eam ego excitabo. Adijtq; AEschinem: Et adeone, inquit, tibi videor modis omnibus infelix, & insanabilis, vt ne moueri quidẽ merear abs te? At AEschines: Non mirum, inquit, si cùm in omnibus me præcellas ingenio, hîc quoque prior videris, quid esset facto opus.* Omitto eius generis multa exempla, quibus non minus illustria sunt ea, quæ habemus in alijs pijs, atque sanctis viris. Ita Móyses pro populo contra se murmurante orauit: de quo legimus: *In fide, & lenitate sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.* Item Iacob fratrem irascentem humilitate mitigauit, *Adorans eum septies, Dominúmque appellans.* Ioseph etiam fratribus bonum pro malo rependit. Dauid erga Saulem vitę suę insidiantem, mitissimus fuit. Et Apostoli, cùm iniquè cæderentur, *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Exo. 15. 19.

Eccli. 45

Gen. 33.

Gen. 45.

Act. 5.

Sed nullius illustrior, & admirabilior patientia fuit, & mãsuetudo, quàm ipsius Christi Domini, *Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat enim iudicanti se iniustè.* Et: *Tanquam agnus corã tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Cui gratiam

1. Pet. 2.

Isa. 53.

gratiam aliquam referemus ob illius amorem sustinendo iniurias, illique obtemperando Mat. 11. dicenti: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

11. Sicut mansuetudinis decus, ita etiam è contrario turpitudo iracundiæ meritò ad cōpescendam iram permouere debet. Nulla enim furiosior hæc passio est, vt meritò sapientissimi quique illam nihil aliud, quàm insaniam quandam, & animi impotentiam esse dixerint. Cicero 4. Tusc. *An est quidquam similius insaniæ*, ait, *quam ira? Quam benè Ennius initium dixit insaniæ. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum quam partem habent sanitatis?* Quamobrem *quibusdam iratis*, ait Sestius apud Senecam lib. 2. de irâ, c. 36. *profuit aspexisse speculum. Perturbauit illos tanta mutatio sui: veluti in rem præsentem adducti non agnouerunt se. Et quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? Animus iracundus si ostendi, & si in vlla materia prælucere posset, intuentes nos confunderet, ater, maculosusque, æstuans, & distortus, & tumidus.* Tum Plutarchus lib. de ira, ante med. *Sicut Hippocrates ait, eum morbum esse grauissimum, qui faciem ægrotantis quàm maximè mutet in diuersum, ita conspiciens alios ob iram maximè sibi excidere, ac vultum immutantes, colorem, incessum, vocem in diuersum vertere, hinc velut imaginem huius mali mihi fingebam, admodum dolens, si quando tam formidabilis, & commotus viderer.*

12. Pro-

12. Proponit quoque ad iræ remedium, cõsiderationem quandam minimè prætereundam S. Ioannes Cassianus lib. 8. de institut. cœnob. c. vlt. *Cogitemus*, inquit, *nequaquam licere nobis iratis orare, nec iratos fundere preces ad Deum.* Nempe quia irato animo non nisi fictè, & simulatè vsurpari potest illa oratio ad Deum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Itemque quia omne munus, atque adeò etiam orationis oblationem aspernatur Deus, nisi quis priùs vadat, & reconcilietur fratri suo. *Si ergò offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & sic veniens offer munus tuum.* Quantum igitur malum ira existimanda est, quæ nobis obstat, quò minùs re tam necessaria, quã est oratio, benè vtamur.

Matt. 6.

Matt. 5.

13. Si necdum hæc remedia, & considerationes sufficiant, vt iræ flammam animo conceptam restringamus, saltem ira tenenda, & refrænanda est, vt tempus vindictæ differatur. *Maximum*, inquit Seneca lib. 3. de irâ, c. 11. *remedium iræ dilatio est, vt primus eius feruor relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut resideat, aut minus densa sit. Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet: quædam ex toto euanescent.* Vt autem quis facilius, & promptius hoc remedio dilationis vtatur, facere poterit illa consideratio, quam

in

in lib. de ira Plutarchus proponit: *Quemadmodum*, inquit, *Phocion post* Alexandri mortem, non sinens Athenienses ante tempus commoueri, nec facilè credere rumori, aiebat: *Si hodie, viri Athenienses, Alexander mortuus est, & cras, & perendie erit mortuus: sic nimirum oportet hominem ira impulsu ad vindictam properantem, sibi ipsi suggerere: si hic homo peccauit, & cras, & perendie verum fuerit eum peccasse, neque quidquã erit periculi, si paulò serius det pœnas: sed si præproperè punitus fuerit, fortè videbitur nõ peccasse, quod iam frequenter accidit.*

DOMINICA XXII.

POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

LEgimus in historijs Romanorum, quòd *Numa Pompilius sacra, & cæremonias, omnemq́ cultum* Deorum *immortalium docuerit. Ille Pontifices, Augures, Salios, ceteróſque per sacerdotia: annum quoque in duodecim menses, fastos dies, nefastósque descripsit. Ille Ancilia, atque Palladium, secreta quædam imperij pignora, Ianumque geminum, fidem pacis, ac belli; inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad similitudinem cælestium siderum, custos imperij, flamma vigilaret. Et hæc omnia quasi monitu deæ Ageriæ, quò magis barbari*

bari

bari acciperent. Ita Florus lib. 1. rerum à Rom. gestarum, c. 2.

Ita etiam cùm Pharisæi Iesum capere vellent in sermone, callidè discipulos suos mittunt fictis instructos blanditijs, qui dicebant: *Scimus, quia verax es, & viã Dei in veritate doces.* Mat. 22.

EVANGELIVM: *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt Iesum caperent in sermone.* Ibid.

THEMA: *Non enim respicis personam hominum.*

Occasione illorum verborum de Acceptione personarum agemus. Dicitur autem acceptio personarum (Græcè προσωποληψία, quod nomen non minùs rectè potuisset verti, Acceptio vultus, vel, faciei) generatim iuxta modum loquendi Script. quando in aliqua distributione non respicitur causa, sed persona; id est, aliqua personæ conditio nihil ad prædictam distributionem faciens, ob quam is, qui minùs dignus est, præfertur digniori; vt si quis Prælatus beneficia, officia, vel ordines sacros, omissis dignioribus, conferat indignis, vel minùs dignis, quia amici, consanguinei, diuites. Si Iudex ferat sententiam pro amico non pro eo, qui ius habet.

Itaque duo propriè ad hoc vitium requiruntur.

Primò, vt bona, quæ distribuuntur, sint aliquo modo communia, saltem destinatione eius, qui illa distribuit; vt si quis ludos instituerit

tueret propositis præmijs, & ea distribueret posteà non victoribus, sed amicis suis, diceretur personarum acceptor.

Secundò, vt in distribuendo spectetur aliqua conditio personæ nihil ad distributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori.

Hinc patet apud Deum non esse personarum acceptionem, & si dona sua neque omnibus, neque inter homines æqualiter distribuat.

1. Quia Acceptio personarum locum non habet, dum quis bona sua propria, ad quæ illi, quibus fit distributio, nullum ius habent, distribuit. Si enim *Ioseph singulis fratribus suis proferri iusserit binas stolas: Beniamin verò dederit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis:* Cur Deus non posset sua dona inæqualiter distribuere, quæ omnia illi propria sunt, & ad quæ nemo ius habet? (Gen. 45.)

2. Deus in hâc distributione non præfert indignum digno ob aliquam conditionem in homine existentem, quæ nihil ad distributionem faciat. Etsi enim interdum minùs dignos maioribus auxilijs præueniat, id facit ob iustissimas causas, nempe vt ostendat se gratis dare, & nemini se esse debitorem horum bonorum. *An non licet mihi, quod volo, facere?* (Matt. 20)

3. Quia omnibus auxilia prima salutis impertit, prout fert conditio cuiusque, & quemque iuuat ad vlteriora, saltem quatenus se ille

per

per priora auxilia disponit, & idoneum reddit. Hinc cùm Petrus cognouisset Cornelium Gentilem cùm familiâ ad fidem Christi vocari, dixit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Vbi insinuat, potuisse videri acceptionẽ personarum apud Deum, si solis Iudæis, non etiã gentibus eum timentibus, & iustitiam operantibus fidem in Christum contulisset. Cùm enim Cornelius se per priora auxilia idoneũ, & dignum fecisset hoc dono, & Iudæi plerique essent indigni, debebat etiam ipsi conferri. Alioqui visus fuisset Deus acceptor personarum: nam visus fuisset Iudæos minùs dignos præferre Gentibus dignis, idcircò tantùm, quòd Iudæi essent; & pluris valuisset apud Deum in dono fidei conferendo, esse Iudæum, quàm Deum timere, & mandata eius obseruare in Gentibus. Hæc tamen personarum acceptio non fuisset contra iustitiam: quia Gentes ad fidem Christi ius non habebant, vt probat Apostolus. Simili modo Apostolus dicit *apud Deum non esse acceptionem personarum*; eò quòd cuique, siue Iudæo, siue Græco reddet secundum opera sua. Vnde insinuat, si Iudæis malè operantibus parceret, quia Iudæi; Gentibus autem malè operantibus non parceret: vel si Iudæos benè operantes remuneraret; Gentes non remuneraret; fore acceptionem personarum: etsi in parcen-

Act. 10.

Rom 15

Rom. 2.

do his, non illis, esset iniustitia.

Dico 2. Acceptio personarum ex genere suo peccatum est mortiferum, quia fit cum iniuria proximi: ratione tamen exiguitatis materiæ potest esse peccatum veniale: vt si in re parui momẽti (verbi gratia in loco accumbendi ad mensam) præferatur minùs dignus digniori; vel si non sit magnum discrimen inter minùs dignum, & digniorem. Et quidem esse peccatum, certum est secundum fidem. Prohibetur enim in sacris litteris. *Non considerès personam pauperis*. Et: *Nulla erit distantia personarum, neque accipietis cuiuscunque personam.* Et: *Non accipietis personam*. Et: *Ne accipias personam, vt delinquas.*

Leui. 19 *Deut.* 1. *Deut.* 16 *Eccli.* 42

Est etiam contra rationem naturalem: & huius vitij grauitatem satis declarant antiquorum Philosophorum siue instituta, siue exempla.

De Areopagitis narrat Lucianus, idcircò eos noctu in tenebris iudicare fuisse solitos, ne ad dicentes, sed ad eam solùm, quæ dicerentur, possent respicere. Et Aristoteles ideò vel maximè eos commendat, quod eam partem Rhetoricæ, quæ ad commouendos affectus valet, atq; ad hoc crimen impellere posset, penitùs eiecerint. Et de Socrate illud ad æquitatem ipsius pertinens fertur, quòd neq; vxorem, neque filios in iudicium secũ venire voluit, cùm ad id vocaretur, ne Iudices nimia miseratione afficere velle videretur.

Con-

Consistit autem hoc vitium I. in distributione Iuris, quam facit Iudex, dum partibus ius dicit. Etsi enim ius dicere sit actus iustitiæ commutatiuæ, quatenus ex officio est debitum; tamen quatenus fit inter duos fit, habet modum iustitiæ distributiuæ. Ius enim suo modo est quoddam bonum commune distribuendum partibus. In huius igitur distributione, si Iudex aliquid respiciat, præter causarum media, committit hoc vitium acceptionis personarum; quod sæpe ei prohibetur in Scripturis. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo.* Item: *Accipere personam in iudicio, non est bonum*: id est, nihil habet boni, valdè est malum. Ita fecerunt ciues maiores natu, & optimates Iezraël, quando falsum contra Naboth adduxerunt testimonium, & extra ciuitatem eiectum lapidibus interfecerunt. Vbi aduerte, non esse tantùm vitium acceptionis personarum, quando Iudex in ferenda sententia considerat personam potiùs, quàm æquitatem causæ; sed etiam quando causas pauperum differt, & extrahit; causas autem diuitum expedit. Similiter quando vni parti concedit longiorem terminum ad probandum, vel informandum, quàm alteri, cùm tamen par sit vtriusque ratio.

Leuit. 19

Prou. 18

3. Reg. 21.

2. Locum habet in collatione beneficiorũ, & in electione, & præsentatione ad illa. Beneficia enim iure naturali, & positiuo, debent

 conferri

conferri dignioribus, id est, qui optimè putatur officio functuri. Vnde si consanguinitas, amicitia, vel simile quiddam nihil ad officium pertinens, in electione, presentatione, vel collatione spectetur, omissis dignioribus, committitur vitium acceptionis personarum. Ita *cùm suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason, frater Oniæ, summum sacerdotium, adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus alijs talenta octoginta:* Et obtinebat. *Et post triennij tempus misit Iason Menelaum portantem pecunias Regi, & de negotijs necessarijs responsa perlaturum. At ille commendatus Regi, cùm magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta.*

2. Mac. 4

3. Locum habet in conferendis officijs secularibus, vt in officio Consulis, Prætoris, Senatoris, Consiliarij, Quæstoris, & similibus. Hæc enim sunt bona quædam communia Reip. instituta ad ipsius commodum, quorum distributio pertinet ad Principem: vnde tenetur iure nature ea maximè idoneis, & Reip. vtilibus conferre. Ita *congregati sunt omnes viri Sichem, & vniuersæ familiæ vrbis Mello: abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech iuxta quercum, quæ stabat in Sichem:* Filium scilicet concubinæ, *& interfecerunt filios Ierobaal, septuaginta viros super lapidem vnum.*

Iud. 6.

4. Locum habet in oneribus distribuendis.

Hæc

Hæc enim iusta proportione distribui debẽt, ne pauperes magis grauentur, quàm diuites. Ita nouus Rex Ægypti *ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus.* Exod. 1.

5. In exhibendo honore, seu reuerentia: vt si quis in publico consessu, aut in mensa alicui non assignet locum, qui ei ratione eruditionis, vel gradus debetur. Debet tamen id fieri dolo, vel lata culpa: alioqui non censetur iniuria. Ita *aßumens Samuel Saulem, & puerũ eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui inuitati fuerant: erant enim quasi triginta viri*. Licet enim aliqui eorum fortè Saule digniores essent, nulla tamen per hoc eis inferebatur iniuria, quia iam destinatus à Deo erat Rex. 1. Reg. 9

Notandum autem est, titulum, ob quem alicui debetur honor, esse excellentiam naturæ rationali congruentem; quæ consistit in sapientia, virtute, & potentia: nullæ enim aliæ perfectiones reddunt naturam rationalẽ excellentem, & honore dignum.

Vnde maximè honorandi sunt 1. homines sanctitate, & sapientia præditi. Ita populus Israël honorabat Samuelem, cum bonum illi daret testimonium dicens: *Non es calumniatus nos, neque oppreßisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Dixitque Samuel: *Testis est* 1. Re. 12

Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inuenietis in manu mea quidpiam. Et dixerunt: Testis.

2. Qui potentia præstant, vt Principes quia diuinæ potentiæ sunt participes: & parentes, quia post Deum sunt nobis principium naturæ. Ita cùm Iehu vnctus esset in Regem Israël, *Festinauerunt, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.*

4. Reg. 9

3. Senes, quia senium est signum prudentiæ, & virtutis. *Ita Ioseph introduxit patrem suũ ad Regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, & interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?*

Gen. 47.

4. Diuites, quatenus diuitiæ sunt instrumenta virtutis, dum ad multa bona opera facultatem præbent. Quòd si diuitiæ per se cõsiderentur, nullo honore dignæ sunt, quia per se nullam excellentiam habent, qua naturam rationalem ornent, cùm ex rebus infimis cõstent. Vnde si quis diuiti propter illas (quasi illæ per se aliquid magni sint) honorem, præ aliijs virtute, vel scientia claris, exhibeat, committet vitium acceptionis personarum: nam in honore distribuendo non spectabitur caussa, sed persona, cum iniuria quadam probitatis, & sapientiæ. Ita Abimelech honorauit Isaac ob diuitias, & fędus cum eo inijt dicẽs: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus:*

Gen. 26.

mus:

mus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet.

Aduerte tamen, dupliciter posse diuites ob diuitias præscisè consideratas honorari.

1. Si solùm exteriùs honorentur ob receptam consuetudinem, siue tamen interiori æstimatione, & reuerentia erga diuitias. Et hoc modo non est peccatum, si fiat sine cuiusquam iniuria, quia externa ista consuetudo non est per se mala.

2. Si fiat ex interiori quadam æstimatione, qua diuitiæ secundum se præferantur, vel exæquentur virtuti: & sic est peccatum acceptionis personarum, quod D. Iacobus reprehendit dicens: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens, in veste candida,* &c. Vbi docet esse peccatum acceptionis, talem præferre fideli pauperi ob nudas diuitias: & fieri potest, vt sit mortale; vt si fiat cum notabili alterius contemptu, vel iniuria; alioqui est solùm veniale.

Iac. 2.

MORALE.

Ostendite mihi numisma census.

Matt. 22

Nummus est anima, quam Dominus maximè in morte examinat, vt imaginem suam quærat. *Ostendite*, inquit. Considerandum autem, quòd ostendere debet homo veritatem

in prædicatione: iniquitatem in confeſsione: bonitatem in operatione: Dei imaginem in expiratione.

Ezec. 44 De 1. *Populum meum docebunt: quid ſit inter ſanctum, & pollutum, mundum, & immundum, oſtendent eis.* Ecce Doctores debent oſtendere, quid licitum, quid illicitum, quid virtus, quid vitium, vt vitium vitetur oſtenſum. Oſtendant contra vitium pœnam damnationis. Vnde Angelus, qui prædicatorem ſignificat, dicit: *Oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*, id eſt, peccatricis animæ. Item vt virtus oſtenſa ametur, oſtendam gloriam retributionis, quæ per fructus terræ promiſsionis ſignificatur. Vnde de exploratoribus eiuſdem terræ, per quos prædicatores ſignificantur: *Conſiderata terra, ſumentes de fructibus eius, vt oſtenderent vbertatem, intulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona eſt terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.*

Apo. 17

Deut. 1.

Luc. 17. De 2. Dictum eſt decem leproſis: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Oſtendite, non abſcondite: ſicut Adam, qui, cùm peccaſſet, *abſcondit ſe*, & eiectus eſt de paradiſo. Quidam enim negando, vel dimidiando, vel excuſando, vel palliando in confeſsione ſe abſcondunt. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Iſidorus: Peccatum tuum proditum citò curatur: crimen autem tacendo ampliatur. Si oſtendis tuam miſeriam in confeſsione,

Gen. 3.

Prou. 28

ne, oſtendet Dominus tuam miſericordiam in remiſsione. Pſalmus: *Oſtende nobis Domine, miſericordiam tuam,* &c. Si autem non vis oſtendere presbytero, oſtenderis vniuerſis in iudicio. *Reuelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Pſal. 79. Naum 3.

De 3. *Quis ſapiens inter vos? Oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.* Semper debet homo aliquid virtutis oſtendere, & boni exempli. Et certè vbi caſtitas, vbi fidelitas, vbi pietas, vbi patientia, vbi charitas, vbi aliqua virtus eſt, tempore debito oſtendit ſe, etiamſi neceſſe ſit per ſanguinem proprium, ſicut Chriſtus, & ſancti Martyres oſtenderunt. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem.* Si adhuc non potes per ſanguinem oſtendere fidem, oſtendas ſaltem per lachrymarum contritionem. Auguſtinus: Sciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, & dolorem peccati non oſtendit lachrymis. Iac. 3. 1. Mac. 6

Sed heu quidam bona virtutum non ad Dei glorificationem oſtendunt, ſed ad ſui commendationem; ſicut ſignatum eſt in Ezechia: *Oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa, quæ inuenta ſunt in theſauris ſuis.* Et heu, quia melius ſciunt oſtendere nequitias, quàm virtutes. *Rex mente effrenatus veniebat nequiorem ſe Patre ſuo Iudæis oſtenſurus.* Tales in inferno Iſa. 39. 2. Mach. 13.

Sap. 5. conqueruntur: *Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere.*

De 4. hîc: *Ostendite mihi numisma census.* Interlinearis: Nummum, qui pro censu soluitur, qui habebat imaginem Cæsaris. Nummus iste est anima ad imaginem Dei facta. Pro isto nummo Christus seruiuit plusquam triginta annis Deo. In morte diligenter hunc nummum examinat, vtrum Dei, an diaboli; vtrum claram, an tenebrosam imaginem habeat.

O felix, qui in morte bonum nummum ostendet. Dominus enim *ostendet illi regnum* Sap. 10. *Dei.* O infelix, qui malum nummum ostendet. Ostendetur enim tunc tormentum per damnationem, quod iam diu ostensum est per conuersationem. *Ostendam autem vobis,* Luc. 12. *quem timeatis.*

DO-

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

EXORDIVM:

VALERIVS Maxim. lib. 9. rerum gestarum, c. 13. Tanta fuit in Xerxe Rege vitæ cupiditas, *vt pro totius Asiæ armata iuuentute, quòd intra centum annos esset obitura, profundere lachrymas coactus sit. Qui mihi,* inquit Valer. *in specie aliena, reuera suam conditionem deplorasse videtur, opum magnitudine, quàm altiori animi sensu felicior. Quis enim etiam mediocriter prudens mortalem se natum fleuerit?* Ita etiam Princeps ille in Euangelio ductus cupiditate viuentis filiæ suæ, venit ad Dominum dicens: *Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* *Matt. 9.*

EVANGELIVM: *Loquente Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est.* *Ibid.*

THEMA: *Non est mortua puella, sed dormit.*

Occasione horum verborum immortalitas animæ nostræ probanda erit. Nam quod ad fidem attinet, non defuerunt ex ijs, qui sacræ Script. libros, vel omnes, vel aliquos receperunt, qui animam hominis vnà cum corpore interire existimabant. Nam Saducæi, qui saltem libros Moysis pro diuinis habebant,

bant, mortalem esse animam censuisse videntur, vt qui nullum esse spiritum incoruptibilem putabant; ideoque futuram etiam resurrectionem abnuebant, vt patet. Item circa annum Domini C C. X L V. fuerunt quidam hæretici in partibus Arabiæ, qui animam simul cum corpore interire arbitrabantur, neque tamen futuram resurrectionem negabāt. Aiebant enim animas simul cum corporibus diuinitus excitatum iri; vt refert Euseb. lib. 6. hist. Eccles. c. 27. Quos etiam hæreticos memorat August. ex Euseb. & Arabicos nominat lib. de hæresibus, hæres. 83. Narrat autem Eusebius, ad hanc hæresin reprimendam *ingens Episcoporum Concilium coactum fuisse*, ad illudque etiam Origenem venisse, tantumq; disputatione sua valuisse, vt omnes illos hæreticos ad fidem rectam reuocauerit.

Mat. 22.
Act. 23.

Præterea circa annum Domini D C. XXX. fuerunt alij hæretici Thnetopsychitæ appellati, qui *hominum animos pecudum animis similes existimarunt, atque eos vna cum corporibus interire dixerunt*; vt totidem verbis refert Damasc. lib. de hæresibus.

Iam ex fidei auctoritate probandum erit, animam hominis esse immortalem. Quod vt planè confirmetur, tria sunt ostendenda, quæ sunt omnia secundum fidem certa.

1. Est, animam non tunc extingui, cùm extinguitur corpus, atque adeò non corrumpi per accidens ad corruptionem totius, seu

ſeu compoſiti.

2. Eſt, neque eam per ſe vllo vnquam tempore extingui; ſed eſſe omninò perpetuam: id quod facilè patebit probato primo. Nam ij, qui animam mortalem fecerunt, omnes ferè exiſtimarunt, eam tunc emori, cùm corpus extinguitur, & non aliàs. Quanquam non defuerunt olim Philoſophi, qui dicerent extingui eam aliquanto poſt, vt Cicero memorat q.1. Tuſc.

3. Eſt, vtrumque conuenire animæ ex ſua ipſius natura; nempe vt nec tum, cùm corpus extinguitur, nec vnquam alias extinguatur; ac proinde eſſe natura ſua incorruptibilem: id quod nonnulli temerè negarunt, vt Pomponacius, & alij, qui tacito nomine damnantur in Concil. Lateranenſ. ſub Leone X. ſeſſ. 8.

Primum prob. 1. ex Script. ex qua proferemus teſtimonia 18.

1. Eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Hanc ſimilitudinem, & rationem imaginis Patres intelligunt ſecundùm naturam animæ; non autem ſecundum figuram, & lineamenta corporis, quippe quo Deus caret. Naturæ autem ſimilitudo non ſine conuenientia in naturæ gradu. Atqui Deus natura ſua intellectualis, & immortalis eſt. Igitur etiam homo ſecundum animam. Quod argumentum rectè D. Gregor. Niſſen. vrget in diſput. de anima, & reſurrectione

Gen. 1.

ctione cum sorore Macrinâ.

2. Est, vbi Iacob deflens mortem Ioseph, quem à bestia deuoratum credebat: *Descendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum.* Erat igitur iam tunc fidelium persuasio, non extingui piorum animas in morte, sed ad eũ subterraneum locum contendere, quem vocamus Patrum limbum.

Gen. 37.

3. Est, vbi Abraham, Isaac, & Iacob iam pridem vita functis nihilominus dicit Deus cum Moyse loquens: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* At *non est Deus mortuorum* omninò, *sed viuorum* saltem secundum animas. Viuunt igitur animæ defunctorum.

Exod. 3.

Sic enim argumentatus est Christus pro immortalitate animæ, & pro resurrectione aduersus Saducæos: & hoc argumento illis silentium imposuit.

Mat. 22.

4. Est: *Ne fortè eleuatis oculis ad cœlum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus.* Certè si cœlestia corpora, quæ incorruptibilia sunt, homini tanquam natura sua superiori ministrant, consequens est, vt homo quoque secundum præcipuam saltem naturæ partem, puta secundum animam, sit incorruptibilis.

Deut. 4.

5. Est: *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Eccli. 12

6. Est:

6. Est: *Nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*: nempe secundum animam inexterminabilem. Sap. 2.

7. Est: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Et infrà: *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Sap. 3.

8. Est: *Iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et infrà: *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est*, &c. Sap. 4.

9. Est: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Sap. 5.

10. Est: *Iusti autem in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum. Ideò accipient regnum decoris, & coronam speciei de manu Domini.* Ibid.

11. Est: *Et si in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.* 2. Mac. 6

12. Est: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Mach. 12.

13. Est: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Mat. 10.

14. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Luc. 16.

15. Est:

1.Cor.15 15. Est: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.* Infert id pro absurdo.

2.Cor.5. 16. Est: *Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Et infrà: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.*

Apoc.6. 17. Est: *Vidi subtus altare animas interfectorũ, & clamabant voce magna,* &c.

Apo.14 18. Est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur eos.*

Secundò prob. ex Ecclesiæ totius sensu, atque consensu, cuius doctrina omnis, atque morum, & rituum disciplina hoc dogmate de immortalitate animæ, tanquam fundamento nititur. Ac nominatim illud Ecclesia definiuit in Synodo VI. generali, act.13. Vbi approbatur epistola Sophronij Patriarchæ Hierosolym. recitata in act.11. qui *Angelos, & animas esse à Deo creatos immortales* ex orthodoxa doctrina asseruit. Item in Concil. Lateran. sub Leone X. sess.8. Denique omnes Patres veritatem hanc pro certissima secundum fidem habent.

Secundum, scilicet neque vnquam alias post corruptionem corporis animam interire,

te, æquè certum eſt ex fide. Patet ex aliquot Script. teſtimonijs ſup. citatis, nempe ex 1. 4. 6. 13. 15. Quæ teſtimonia eam quoque vim habent: ac maximè illud ſextum, & 13. Nam hominem eſſe ſimpliciter inexterminabilem ibi aſſerit Sapiens contra impios, qui aiebant animam non eſſe immortalem, vt patet ex initio eiuſdem cap. Chriſtus etiam prorſus ſignificat, nullam aliam cauſam præter Deum eſſe, à qua poſsit anima vnquam extingui. Quibus adde omnia illa Script. teſtimonia, quibus alias prob. præmia, & ſupplicia animarum futura ſempiterna.

Sap. 2.

Mat. 10

Præterea idipſum ſentiunt Patres citati, cùm aiunt, animam ſimpliciter eſſe incorruptibilem, & immortalem, ſicut etiam definitur in VI. Synodo, & in Concil. Lateran. citatis.

Tertium denique ex fide ſimpliciter certum eſt, nempe ſuapte natura vtrumque habere animam, videlicet vt neq; tunc intereat, cùm corrumpitur corpus, neque vnquam alias; atque adeò eſſe per ſe incorruptibilem. Prob. 1. ex aliquot Script teſtimonijs citatis, quæ hanc vim habent, vt 1. 4. 6. & 13.

Deinde ex eo, quòd in Concil. Lateran. ſub Leone x. vbi ſupra definitur, animam eſſe immortalem, aduerſus quoſdam qui illo ipſo tẽpore, auſi erant dicere, animã eſſe mortalem natura ſua, vt initio ſeſsionis illius mera-

moratur. Quare sensus illius fidei definitionis est omninò contrarius, nempe animam natura sua esse immortalem. Sic habent verba illius decreti: *Cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis sit, &c.*

Quocirca ibi etiam iniungit Concilium professoribus Philosophiæ, *vt soluere conentur argumenta Philosophorum contraria.*

Tertiò accedit, quòd Patres etiam ex ipsa naturali præstantia, & dignitate animæ conantur vbique ostendere illam esse immortalem.

MORALE.

Matt. 9. *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum super eam, & viuet.*

Filia tua est anima tua defuncta per culpam, cui manus Christi imponitur per gratiam. Manus autem imponenda, id est, misericordiæ suæ gratia. Porrò Christi operatio quatuor facit in nobis: Purgat culpam: reparat naturam: confert gratiam: præparat gloriam.

De primò dicitur hîc: *Filia mea modò defuncta est.* Filiæ huius resuscitatio est peccatricis animæ iustificatio. Circa quam tria hîc significantur: scilicet culpæ propriæ recognitio, ibi: *Filia mea:* id est, anima mea, vtique non alterius. Quidam enim mortem culpæ suæ aliorum animabus imponent; sicut signatum

natum eſt, vbi vna meretricum dicit: *Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt.* Item feſtina conuerſio ibi: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Vnde dicitur hîc: *Modò defuncta eſt.* Et: *Factus eſt repentè de cœlo ſonus.* Væ ergò illi, cuius anima non modò, ſed ante annum; imò ante triginta annos, vel quadraginta defuncta eſt, & adhuc non petit eam ſuſcitari. Quantis lachrymis, & orationum clamoribus ſuſcitanda eſt anima quadraginta annis mortua, quando lachrymis, & clamore Chriſti ſuſcitatur Lazarus quatuor diebus defunctus! Item veniæ poſtulatio ibi: *Impone manum ſuper eam.* O virtus, & gratia huius manus! *Extendens Ieſus manum tetigit eum dicens: Volo, mundare.*

3. Reg. 3.
Eccli. 5.
Matt. 9.
Act. 2.
Ioan. 11
Matt. 9.
Matt. 8.

De ſecundò: *Impoſuit illi manum, & confeſtim eſt erecta.* Hoc de muliere dicitur, quę habebat ſpiritum infirmitatis decem, & octo annis, & erat inclinata, neque omninò poterat ſurſum aſpicere, mulier hęc eſt anima peccatrix. Sed nota, quòd ait Bernardus redituris ad patriam: Tria nobis neceſſaria ſunt: velle, poſſe, noſſe.

Luc. 13.

Anima ergo peccatrix infirma eſt quoad poſſe, inclinata eſt quoad velle, ſurſum non reſpicit quoad noſſe. Vel infirma eſt quoad ſpiritualia, inclinata eſt quoad corporalia,

ſurſum non reſpicit quoad terrena. Vel infirma eſt in opere: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea.* Inclinata eſt in affectione: *Inclinata eſt ad mortem domus eius.* Sicut enim anima per virtutes erigitur Deo, ita turbatur per peccatum, & inclinatur diabolo. Vnde dæmones dicunt ad animam: *Incuruare, vt tranſeamus.* Item ſurſum non reſpicit in intentione, contra illud: *Ad te leuaui oculos meos.* Et: *Sapientis oculi in capite eius*, id eſt, Christo.

Pſal. 30. Prou. 2. Iſa. 51. Pſ. 122. Eccle. 2.

De tertiò: *Oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret.* Interlinearis: vt eis manu, & voce benediceret. Ecce quibus benedictio gratiæ confertur, nempe paruulis, & humilibus.

Mat. 19.

Nota ergò, quòd humilibus datur licentia accedendi. Vnde ait: *Sinite paruulos venire ad me.* Item fiducia perueniendi: *Talium eſt enim regnum cælorum.* Item gratia perficiendi. Vnde cùm impoſuiſſet eis manus, ait: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quomodo enim oſtium paruum intrare poſſumus, niſi parui fuerimus? Oſtium cœli paruum eſt humilitate: ſi ſano capite voluerimus intrare, debemus caput dimittere.

Ioan. 12. Matt. 18.

De quartò: *Iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia.* Bis illi cæco Chriſtus manus

Marc. 8.

nus imposuit: primò, & vidit obscurè; secundò, & omnia clarè. In quo duplex illuminatio significatur: prima per fidem, secunda per spem: prima est gratię, secunda est glorię, in qua anima omnia clarè videt. Sed nota, quòd Dominus hunc cęcum extra vicum duxit, & in oculos eius expuit, & manus ei imposuit: in quo significatur, quod is, quem Christus extra mundanam societatem, & vanitatem eduxerit, sputo doctrinę, & sapientię linierit; cui manus virtutis, & gratię imposuit, ille ad illuminationem ęternam peruenire poterit.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Exordium:

VAlerius Maxim. lib. 1. c. 6. *Præcipuæ*, inquit, *admirationis illa prodigia, quæ C. Volumnio, & Ser. Sulpitio Coss. in vrbe nostra inter initia, motusq́; bellorum acciderunt. Bos namq; mugitu suo in humanum sermonem conuerso, nouitate monstri audientium animos exterruit. Carnis quoque in modum nimbi dißipatæ partes ceciderũt: quarum maiorem partem præpetes diripuere aues, reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum iacuit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt, puerum infantem semestrem in foro Boario triumphum proclamasse. Alium cum elephantino capite natum. In Piceno lapides pluisse. In Gallia lupum vigili è vaginâ gladium abstulisse. In Siciliâ scuta duo sanguinẽ sudasse. Etiam metentibus cruentas spicas in corbem decidisse. Cerites aquas sanguine mistas fluxisse. Bello etiam Punico secundo constitit Cn. Domitio bouem dixisse: Caue tibi, Roma.* Non sunt tamen hæc signa comparanda cum ijs, de quibus in Euangelio mentio fit, quæ vltimum pręcedẽt iudicij diem.

Mat. 24 EVANGELIVM: *Dixit Iesus discipulis suis: Cùm videritis abominationem desolationis, quæ*

quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

THEMA: *Cùm videritis abominationem desolationis*, &c.

Occasione huius Euangelij videndum erit; Quisnam futurus sit Antichristus? Constat autem ex Script. & Patribus, & ipsa ratione vocis, Antichristum, de quo loquimur, insignem aliquem Christi aduersarium, & æmulum fore, qui Christo abnegato arroget sibi Christi dignitatem. Id patet ex epistol. Ioannis, qui illum maximè Antichristum esse pronuntiat, *qui negat, quoniam Iesus non est Christus*. Quoniam hoc videlicet ad eum inprimis pertinebit, qui præcipuè Antichristus futurus est. Quamuis generali quoque ratione quadam alij nominari possint Antichristi, quicunque aduersantur Christo per professionẽ falsæ doctrinæ. Sed nunc de Antichristo eo, qui singulariter Christo futurus est contrarius, loquimur, quem Ioannes discernit ab alijs, qui nominari possint Antichristi, dum inquit: *Filioli, nouissima hora est, &, sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt.*

1. Ioan. 2.

Ibid.

Idem etiam patet ex ratione vocabuli. Nã particula, *Anti*, oppositionem, & contrarietatem denotat. Vt cùm contraria locutio dicitur *Antiphrasis*, & contrapositio, *Antithesis*, vt alia exempla omittam. Ita igitur in Scriptura

Antichristus dicitur, qui insigniter futurus est contrarius Christo, & adeò quidem, vt præ se illum contempturus sit, iuxta illud, quod de hoc Antichristo scripsit Apostolus: *Qui extollitur super omne, quod dicitur* Deus.

2. Thes. 2

Porrò quæstio est: Quisnam ille tam insignis Christi aduersarius futurus sit? Nam Hippolytus Mart. in oratione de consummatione mundi existimauit, hunc Antichristum non hominem verum, sed ipsum diabolum futurum in falsa specie humanæ carnis assumptæ ex falsa virgine: sicut verbum Dei assumpsit carnem ex verâ virgine. Sed huic opinioni repugnat Apostolus, qui Antichristum hũc appellat *hominem*, & de illo, tanquam de vero homine loquitur: qui & addit à Domino Iesu esse denique *interficiendum*, nimirum tanquam verum hominem.

Ibid.

Alij senserunt futurum & verum hominem, & verum diabolum, per veram scilicet incarnationem: quomodo Christus est verus homo, & verus Deus. Sed hoc etiam refellit S. Hieronym. in c. 7. Dan. & Damasc. l. 4. de fide, c. 28, tanquam commentitium. Nam per nullius creaturę virtutem, atque adeò nec per virtutem diaboli, potest aliena natura hypostaticè assumi. Deniq; omnes veteres de Antichristo loquuntur, tanquam de vero, & puro homine.

Quo posito adhuc controuersia est inter Catholi-

Catholicos, & huius temporis Sectarios omnes de persona istius Antichristi puri hominis. Nam Catholicis omnibus, siue qui iam sunt, siue qui superioribus temporibus in Ecclesia fuerunt, nunquam aliud venit in mentem, quàm Antichristum hũc fore hominem quendam singularem, & determinatum, in quem omnia illa conueniant, quæ de illius natiuitate, & conditione sacræ litteræ prædixerunt.

Lutherus autem, & alij omnes Sectarij, per summam impudentiam contendunt, Antichristum hunc non fore vnum aliquem singularem, & determinatum hominem, sed significari potius hoc Antichristi nomine in Script. gradum cuiusdam dignitatis tyrannicæ, & Christo aduersariæ, in qua plures sibi mutuo succedant, quorum quilibet proinde Antichristus sit. Sicut Cæsar verbi gratia non est tantùm vnicus aliquis homo particularis, sed quicunque obtinet gradum illum imperialis dignitatis. Atque illam nimirum tyrannicam dignitatem in Ecclesia, quam quicunque obtinet, fit Antichristus, aiunt esse auctoritatem Pontificis Rom. ab eo tempore, quo, vt ipsi somniant, fuit corrupta doctrina Apostolica in Ecclesia Romana.

Quocirca vnumquemque Pontif. Rom. ab eo tempore dicunt esse Antichristum: quanquam in asignando eo tempore, vt est natu-

ra mendacij, valdè variant. Sed quòd Antichriſtus ſit futurus vnus aliquis homo certus, & ſingularis, ac proinde minimè ſit Pontif. Rom. euidentiſsimè patet ex omnibus, & ſingulis, quæ de Antichriſto in Script. prænunciata ſunt.

Et hoc ipſum in ſpecie patet manifeſtè ex modo, quo de Antichriſto loquitur vbique Script. Dicitur enim de illo, quòd *conſurget poſt decem Reges, & erit potentior illis, & tres Reges humiliabit.* Item quòd *regnabit per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Id eſt, per tres annos cum dimidio, vt omnes Patres interpretãtur: quæ certè non niſi vni homini particulari cõpetunt. Dicitur etiam quòd *erit in concupiſcentijs dominarum, nec quenquam Deorum curabit.* Vbi etiam denotãtur vitia vnius alicuius hominis. Et Dominus manifeſtè ſignificat Antichriſtum futurum illum ipſum, quem Iudæi adhuc expectant, & ſunt recepturi, cùm inquit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Certum eſt autem, Iudæos neque expectare, neque recepturos eſſe pro Meſsia, niſi vnũ aliquem hominem particularem. Quòd autẽ ibi loquatur Dominus de Antichriſto, ſentiũt cõmuniter Patres, Irenæus l.5.c.25. Hieron. in epiſt. ad Algaſiam, q.11. Auguſt. tract. 29. in Ioannem, & alij.

Dan. 7.

Dan. 11

Ioan. 5.

Item Dominus ibidem de Antichriſto loquitur,

quitur, tanquam de homine ita certo, & determinato, ſicut ipſe erat. Nam ſicut de ſe dicit determinatè: *Ego veni:* ita de illo dicit æquè determinatè: *Si alius venerit.* Et ſicut determinatè dicit: *Non recepiſtis me:* ita determinatè de Antichriſto inquit: *Illum recipietis.*

Item 2. Theſſ. 2. & 1. Ioan. 2. vbi de Antichriſto eſt mentio, ſemper præponitur articulus Græcus, ὁ, qui articulus, vt notat etiam Epiphan. hæreſ. 9. deſignat rem certam, & particularem. Vnde cùm Ioannes dicit: *Audiſtis, quia Antichriſtus venit*, prçponit eum articulum: cùm autem ſubiungit: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt*, nõ præponit, vt ſcilicet diſtinguat inter Antichriſtum hunc particularem, de quo agimus, & alios, qui communi quadã ratione appellari poſsint Antichriſti, quatenus Chriſto aduerſantur.

2. Theſ. 2

1. Ioan. 2

Denique in Apoc. ſimiliter de Antichriſto ſermo eſt, tanquam de homine particulari, qui etiam ſit habiturus certum characterem, & certum nomen conſtans ex litteris quibus conficiatur numerus 666. Nam de Antichriſto legimus futurum, *ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Et additur: *Hic ſapientia eſt: qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt, & numerus eius 666.*

Apo. 13 & 17.

Apo. 13

Quanquam duas ob cauſas rectè moneat

Irenæus

Irenæus l.5 c.30. non posse certò determinari priùs, quàm hęc prophetia impleatur, quodnā illud nomen Antichristi futurum sit.

Primò, nam *subsequetur*, inquit, *periculum eos, qui falsò præsumunt scire nomen eius. Si enim aliud quidem hi putant, aliud autem ille habens adueniet, facilè seducentur ab eo, quasi necdum adsit ille, quem caueri conuenit.*

Secundò quia *certius, & sine periculo est, sustinere adimpletionem prophetiæ, quàm suspicari, & diuinare nomina quælibet, quandoquidem multa nomina inueniri possunt habentia prædictum numerum.* Vnde ipse Irenæus ibi proponit tria nomina continētia eundem numerum. Et Aretas in c.17. Apoc. proponit alia septem: & alij alia.

Atque idem iudicium est de charactere illo eiusdem Antichristi: nam donec huiusmodi obscuræ prophetię impleantur, citra communem quidem interpretationem Patrum, & Ecclesiæ ipsius sensum, non possunt certò, & determinatè intelligi; vt rectè notauit Iren. l.4. c.43.

Ex quo redarguitur vanitas Sectariorum huius temporis, qui de Antichristi *nomine*, & charactere, vt hæc accommodent ad Roman. Pont. inepta quædam, & ridicula fabulantur. Vt quod ex Irenæo dicunt, nomen Antichristi fore, *Latinus*, quod conuenit Pontifici residenti in Latio; cū tamen Irenæus in illo c.30.

pro-

probabilius putet, nomen illud Antichristi fore, *Titam*, quod continet eundem numerum secundum valorem litterarum Græcarum. Et de vtroque nomine, ac de alijs quæcunq; excogitentur, asseuerat nihil debere determinatè pronunciari, vt iam audiuimus.

Item ęquè vanum est, quod aiunt isti, characterem Antichristi esse vnctionem Chrismatis in fronte, quam vsurpant Catholici; vel vnctionem sacerdotalem; vel characterem, quem dicimus per quædam Sacraměta inprimi; vel obedientiam erga Rom. Pont. & consensum cum illo in doctrina. Primùm enim hæc omnia orthodoxa planè, & ex institutione Christi sunt: ac proinde non sunt signum, & tessera Antichristi. Deinde non sunt hæc talia signa, quæ manifestè haberi possint *in dextera manu*, aut in *fronte*, ita vt nemo possit *emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomē bestiæ*, vt dicitur in Apoc. Adde, quòd pari facilitate, imò verissimè nos dicere possumus, characterem Antichristi, vel certè pręcursorum eius hæreticorum esse, dissensionē à doctrina, & institutis Rom. Ecclesiæ, & cōtemptum eius. Quemadmodum à Catholicis scriptoribus nomina verisimiliter excogitata sunt conuenientia Luthero, & alijs sectarijs, quæ contineant illum ipsum numerum Antichristi.

Apo. 13

Sed, vt ex Irenæo dixi, omnis coniectura

in

in hoc genere est incerta, donec ipse prophetiæ euentus ostendat, quodnam illud nomen erit, & quis ille Antichristi character. Nobis nunc satis est, quòd, cùm ex Ioanne constet, Antichristum habiturum suum proprium nomen, & peculiare; itemque proprium signum, & characterem, fatendum sit, illum fore certum, & determinatum aliquem hominē, ac proinde non esse vnumquemque Roman. Pontificem, vt aduersarij delirant.

Ibid.

Quod ipsum probamus vltimò consentiente auctoritate Patrum, qui de Antichristo loquuntur, non nisi vt de particulari quodam sceleratissimo homine, & qui per tres tantùm annos cum dimidio regnaturus sit.

Est etiam cauendus vetus quidam aliquorum error, ab August. relatus, & refutatus lib. 20. de ciuit. c. 29. ipsum Neronem futurū esse Antichristum, *siue quia resurrecturus, & quæ narrantur de Antichristo facturus sit, siue quia non occisus, sed subtractus potiùs, vt putaretur occisus, & viuus occultatus in vigore illius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum*. Subiungit autem merito Augustinus: *Multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio*. Et certè somnium illud nullum fundamentum habet. Nam quod referente ibi Augustino referebant, Apostolum ipso Neronis tempore de Antichristo dixisse: *Mysterium iam operatur iniquitatis*,

2. Thes. 2

quitatis, non ideò dixit, quia iam ipsémet Antichristus esset, sed quia iam tunc esse, & operari inciperent Antichristi præcursores Pseudoapostoli, & hæretici.

MORALE.

Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Matt.24

Prægnantes, & nutrientes luxuriosos significare possunt. Væ autem damnationis non his solùm, sed omnibus per septem vitia capitalia vitiosis debetur. Væ ergo impijs propter superbiam. *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis.* Bene dicit: *coronæ.* In coronis enim, & ornamentis capitis specialiter solet ostendi superbia: quod est contra quod dicitur: *Tu scis infirmitatem, & necessitatem nostram, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum.* Ioannes Chrysostomus: Crimen est, caput post chrismatis sanctificationem, aut croco, aut alterius pigmenti succo, vel puluere sordidari, aut auro, vel gemmis, vel cuiuslibet terrenæ creaturæ specie comi, quod iam cœlestis ornatus splendore refulget. Item benè dicitur: *flori decidenti.* Flos enim gratiæ temporalis, flos pulchritudinis mortalis, flos iuuentutis corporalis citò decidit. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Isa.28. Est.14. Isa.40.

Væ impijs propter inuidiam: *Væ illis, qui in viam* Epist. Iud.

viam Cain abierunt. In viam Cain abierunt, qui proximos odiunt, ſicut Cain, fratrem ſuum. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Inuidi ergò, qui verbis, vel factis malum procurant proximis, non ſolùm Cain latronem, ſed & Iudam traditorem ſicut imitantur in culpa, ita ſequuntur in pœna. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Gregorius: Qui poſt puniendi ſunt retributionis ſupplicio, ſeipſos afficiunt inuidiæ tormento.

1. Ioan. 3

Mat. 26.

Item væ propter iram: *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Væ eis, qui ſeipſos vindicant in mundo: nam *mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.*

Iudit. 16

Rom. 12

Item væ propter auaritiam: *Væ ei, qui multiplicat non ſua. Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum?* Vſurarij, fures, prædones non ſua, ſed aliena multiplicant: auferunt enim ab alijs, & auferetur ab eis. *Væ, qui prædaris: nónne & ipſe prædaberis?* Benè autem temporalia dicuntur lutum, quia coinquinant animam. Bernardus: Beatus, qui poſt illa non abijt, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinát, amiſſa cruciant.

Abac. 2

Iſa. 33.

Item væ propter acediam: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis,* olim

Mat. 11.

olim in cilicio, & cinere egissent pœnitentiam. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij. Vbi nota, quòd remissius erit pro similibus vitijs Paganis, quàm malis Christianis, & laicis, quàm clericis, & secularibus, quàm Religiosis, & rudibus, quàm sapientibus.

Item væ propter gulam: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Saturati, inquam, non solùm cibo, sed etiam potu. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus expotandis?* Luc. 6. Prou. 23

Item væ propter luxuriam: *Apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ. Super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Ierusalem.* Ier. 13.

Væ igitur damnationis æternæ omnibus in prædictis vitijs per se peccantibus: sed præcipuè væ in eisdem vitijs aliquos scandalizantibus: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Mat. 18.

Sicut autem multiplex væ manet peccatoribus: ita consolatio iustis. Illis enim dicitur: *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Item: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Sicut enim *Anna* (mater Tobiæ) *sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo: & dum ex eodem loco specularetur aduen-* Mat. 24. Tob. 11.

tum eius, vidit à longè, & ilicò agnouit venien-
Mat. 24 *tem filium suum: ita & vos,* inquit Saluator no-
ster, *cùm videritis hæc omnia, scitote, quoniam prope est in ianuis.*

FINIS.

Has viginti quatuor Conciones Dominicales, à Pentecoste vsque ad Aduentum, Auctore V.P. Fratre Balduino Iunio Minorita, Sororum tertij ordinis D. Francisci Confessario legi, pias & doctas, nihilq́; quod fidei Orthodoxæ & bonis moribus repugnet in eis reperi. Quare vt ægregiè frugiferas fore spero, ita præ-lo dignas censui; Antuerpię 10. Martij anno 1610.

F. Anastasius Cocheletius S. Theol. Doct.
Carmelita Librorum Censor.

Hac approbatione visa lubens permitto imprimi
F. Balthazar Vincent, Minorum Prouincialis inferioris Germaniæ.

INDEX CONCIONVM DOMINICALIVM IN HOC Opere Contentarum.

Dominica

FINIS.

Errata sic Corrigantur.

Pagina 17.linea 14.intelligendum, lege intelligendam. pag. 26. lin.10. sententiam adde intelligi. pag.35.lin.20 adde quæ sic prob.pag.38.lin.11. concilio,lege concilium. pag.38.li.31. Nicolai,Nicolao. pag.50.lin.13 D.Thom.adde quin.pag 53. lin 17. vtra ea, ad vtraque.pag.60 lin.25.contumeliandi contumeliosi.pag.62. lin 11. Darium,lege Danielem pag.62.lin. 14.carcerem,lacum.pag.64.li.19.quæ,qui.pag.67.li.9.habent, habet.pag.68.lin.12 quem,qui. pag.71.lin.19.dele non.pag. 74. lin.10. additur,attenditur. pag.75. lin.29. promouentur, promoueatur. pag.90.lin.30. petendi,petenti. pag.92. lin.5. cistertijs,sitarcijs. pag.110.lin.7. proximæ,proximo. pag.119. lin.22.clausus,clausas.pag.125.lin.15 nullo,nullum. pag.135. lin.17.mysteriæ,mateiiæ.pag.145.li.16.præmium,proemium. pag.162.lin.21.heli,zeli. pag 164.lin.5.incanto,incauto. pag. 187.lin.5.dementata,dementatum pag. 188.lin.18. Christum, ipsum. pag.212. lin.18. vniuersa, vniuersis. pag 214. lin. 21. sanctus,sancti.pag 215.lin.9.sufficiant,sufficiat pag 221 .lin.2. irascamus,irascamur. pag.230. lin.8. hæc,hac. pag.237. lin.5. post quatenus dele fit. pag.239. lin.25. dignum,dignam. pag. 241.lin.8. siue,sine.pag.243.lin.1. tuam,suam.

ANTVERPIAE,

Typis Andreæ Bacxij.

1610.